





1793, 26.

DIOCLETIANVS  
ET  
MAXIMIANVS  
SIVE  
DE VITA ET CONSTITVTIONIBVS  
C. AVRELII VALERII DIOCLETIANI  
ET  
M. AVRELII VALERII MAXIMIANI  
A. A.

---

EXERCITATIO SECUNDA  
SCRIPSIT  
ET  
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
OBTINENDIS

A. D. XII. SEPTEMBR. A. C. MDCCXCIII


AD DISPVTANDVM PROPOSVIT

IOANNES CONRADVS SICKELIUS

A. M. ET I. V. B.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA SAALBACHIA.




DIOCLETIANVS  
ET  
MAXIMIANVS

---

SECTIO ALTERA  
DE CONSTITUTIONIBVS DIOCLETIANI ET MAXIMIANI  
AA

PROEMIVM

Constitutionum Diocletiani et Maximiani AA. explicationem adgredirus, diu dubius haesi, quamnam potissimum in hoc argumento pertractando rationem sequerer. Suisit doctissimorum virorum auktoritas, vt singulas quasque leges, secundum ordinem temporum, quibus editae sunt, collocatas, commentariis illustrarem. At cum viderem, me hos auatores sequutum, non modo de eadem re pluribus locis agere, atque ita vel eadem saepius repetere, vel inter se cohaerentia distrahere, sed etiam maximam constitutionum Diocletianarum partem, vtpote nota anni desitutam, fine vlo ordine ponere coactumiri: cum praeterea perpendarem,



chronologicum illum ordinem, grammaticae legum interpretationi  
quamvis aptum, minime conuenire consilio, quod in hocce libello  
conscriptendo mihi propositum habebam, huic scilicet, vt quandam  
iurisprudentiae Diocletianeae imaginem proponerem, hoc est, vt  
quantum fieri posset, e legibus huius imperatoris offendere, rem  
quid in iure ipse immutauerit, quid ex antiquo iure feruauerit,  
omninoque quomodo de iure constitudo meruerit: haec igitur  
considerans, illa via relicta, hanc ingressus sum, vt eas imperatorum  
nostrorum leges coniungerem, quae eiusdem essent  
argumenti, quo singulis libelli capitibus perlectis, mox intelligi  
posset, quid iuris circa hanc vel illam rem sub eorum imperio  
obtinuerit. Tum ante omnia hoc mihi agendum putau, i  
vt sensum, si dubius videretur, declarare, interpretibus, qui  
mihi innotuerunt, in partem vocatis. In quibus recensendis,  
si quis vnum alterumue, praefertim academicu libelli auctorem,  
a me omissum animaduerterit, eo facilius huius rei veniam  
mihi daturum spero, quo magis cognitum est, si ab uno Antonio  
Delrio a), qui praeter glossatores et Cuiacium vix alium vidit iuris  
interpretem, discesseris, neminem hanc operam in se suscepisse,  
vt quae ad codicem Iustiniani interpretandum facere possent, e  
libris iurisconsultorum colligeret: quam vt ipse in me fusciperem,  
nec temporis, quod huic libello scribendo impendere licuit, breuitas,  
nec supellec̄tilis litterariae tenuitas permisit. Deinde quibus vel  
veteris iuris principiis innixi, vel reipublicae rationibus commoti,  
imperatores nostri ea quae habemus rescripta dederint, quantum  
fieri

a) M. Antonio Delrio, *Ex miscellaneorum scriptoribus codicis, notariorum, feudorum, nec non etiam* institutionum iuris ciuilis interpretatione. Stud. Petri Broffaei, Lugd. vellarum, 1590. 4.

fieri potuit, indagare oonatus sum: cumque antiquarum legum studium tum demum et utile et iucundum reddatur, cum eae ad amissim fanae rationis examinantur, nec hoc negligendum putauit, ratione opinionum earum habita, quas nostrates philosophi, de legibus populis scribendis proposuerunt. Ipsarum constitutionum verba ex Contii auctoritate in notulis subieci, ne, qui libellum meum, quem inspicerent, haud indignum iudicauerint, legum codicem perpetua manu versare cogerentur, at varias lectiones non nisi ibi addendas putauit, vbi ad sensum illustrandum aliquid facere videbantur, inscriptiones vero et subscriptiones, plerumque corruptas, quantum fieri potuit, historia duce, emendare studui.

His de libelli mei rationibus praemissis, iam ipsam rem adgrediar.

P A R S P R I M A  
D E I V R E C R I M I N A L I D I O C L E T I A N E O

C A P V T P R I M V M

D E O R D I N E I V D I C I O R V M C R I M I N A L I V M

§. I.

*De Adcusementibus.*


Neminem fugit, apud Romanos, ex consueta iudiciorum forma,  
si delicta, sive publica sive priuata, persequenda essent, opus  
fuisse, vt aliquis e populo adcussatoris partes in se fusciperet.  
Quae iudiciorum forma, quamquam haud aliena erat a liberae  
reipublicae temporibus, quibus in patriam pietas et honoris stu-  
dium ciues impellebat, vt omnem iniuriam reipublicae illatam  
fuerint, eamque, quauis opera, quoquis periculo spreto, pu-  
blica actione vindicandam putarent; tamen an eadem imperii for-  
mae, quae sub imperatoribus erat, adcommodata fuerit, inter  
summos, qui de his rebus scripserunt, viros disceptatum est. Sub  
his enim noxiis, minimeque temporibus congruam fuisse, Mon-  
tesquieus <sup>b)</sup> contendit, faluberrimam contra ciuiumque salutis  
aptissi-

b) Montesquieu, *E'sprit des lois.* L. VI. C. 8. Vers. Germ. Altenb.  
1782. 8. Tb. I. p. 134.

aptissimam strenue defendit Filangerius c). Argumenta rationesque, quibus vterque suam substruxit sententiam, hic exponere, fines huius libelli non sinunt. At si dicere licet, quid mihi hac de re videatur, minime me a Filangerio adduci potuisse fateor, vt Montesquutium errasse putarem. Quid enim ciues impulerit vt adcausationum non dicam pericula, sed tantum operam et incommoda subirent? Legum amor atque reuerentia? His vero minus mouentur homines qui ab aliis leges sibi praecriptas acceperunt, neque, vt in libera republica, ipsi earum auctores fuerunt, vt, violatis legibus, se ipos violatos existimarent. Criminum horror? Hic quidem in omnibus bonis inuenitur, sed in iisdem humanitatis sensus facere solet, vt quamvis plerique optent, reum puniri, vix tamen ullus reperiatur, qui perditum eat hominem, a quo ipse non est offendit, de quo non habet exploratum, an aequitatis sententia aequo ac legum severitate damnandus sit. Quid ergo superest? Turpissima avaritia praemiis delatoribus propositis allecta, vel inhumana inuidiae aut vindictae saeuitia, inuisos sibi homines, vel suo ipsis detimento, perdere cupiens. Eiusmodi cupiditatibus satisfaciendi licentia, num recte dici possit eximium nec satis aestimandum ciuum ius, quo nomine Filangerius publicam adcausandi potestatem adpellat, equidem valde dubito. Nonne potius inimicitarum morumque pessimorum fons vocanda erit? Quae cum ita sint, non potuit non fieri, quin quisque vir honestior et candidior iudicia fugeret, eaque turbae delatorum ac calumniatorum relinqueret. Hinc nemo per avaritiam vel inuidiam abiectorum hominum excitata, a judiciali vexatione tutus erat,

multis

c) Filangieri, *Sistema della legislazione.* L III. T I. C. 3. Verf. Germ. ed. II. Ansp. 1789. 8. Th. 3. p. 59.



multis contra, qui illorum perditorum hominum silentium auro sibi redimerent, crimina impune committere licebat. Ad illud respondet Filangerius, feueris legibus calumniae libidine coercita, ciuium securitatem sub principe aequa ac libera republica stare potuisse; idque sub bonis principibus re vera factum, libenter concedo. Idem tamen ego contendeo, illud, quod in iudicis criminalibus ordinandis non minus spectandum est, ne delicta inulta manent, hac ratione neutquam effectum esse: vnde et Romanos principes coactos videmus, praesidibus potestatem sine praeuia adcufatione in crimina inquirendi concedere *d)*, iisque homines addere, curiosorum, stationariorum, irenarcharum aliquis nomine insignitos, qui crimina illis nunciarent, et adcufatoris partes vi muneris agerent *e)*: quod grauissimum mihi videtur argumentum, veterem adcufationum formam non amplius reipublicae rationibus conuenisse. Sed missam faciamus hanc de adcufationum vtilitate quaestionem, iamque ad ea quae ab imperatoribus nostris hac in re constituta sunt veniamus.

Neutquam omnes sine discrimine ad adcufatoris munus admitti solitos esse apud Romanos, constat. Illud enim grauius putabatur, quam quod mulieribus, minoribus, infamibus, calumniae suspectis, turpe lucrum spectantibus et summa paupertate oppressis: libertati ciuium formidolosius, quam quod magistratis et militibus: mutuo ciuium amori infestius, quam quod liberis,

fratri-

*d) L. 13. pr. D. De officio praef. L. I. C. de custod. reor.*

*e) Henr. Brenkmanni, Lex Romnia, sine de legis Romniae exitu lib.*

*sing. C. XXII. et XXIII. In Eu. Ottonis, Thesauro iuris Romani. T. III. p. 1639. sqq.*

fratribus, libertinis committi posset f). De quibus rebus cum plures existent imperatorum nostrorum constitutiones, iis paullulum immorabimur. Iam primum quod ad mulieres adtinet, causa cur Romani eas a iudiciis publicis remouerint, id quod parum nuper placuit Pastoreto g), Gallo scilicet, praeter imbecillitatem qua illas premi, iure an iniuria, non dispuo, censemabant, praecipue in verecundia, huic sexui propria, quaerenda videtur, cui publicorum negotiorum curam minus conuenire recte putabant h). Hanc vero cum egredi non viderentur mulieres quae, aut iusto dolore ex iniuria ipsis illata incitatae, aut pietate, vel in fuos, crimine quodam laefos, vel in patriam, periculum incurrentem, duætae in iudicia procederent: non modo maiestatis i) et annonaek) crima illis deferre licuit, sed etiam suas suorumque iniurias adculfatione persequi. Adparet hoc e Diocletiani et Maximiani rescripto l), quo de crimine publico mulieri adculfare non

licere

f) L. 8. 9 et 10. D. De adculsat. et inscript.

g) Pastoreto, Des lois penales T. I. C. 8. Verf. Germ. c. Chr. Dan. Erhardi, V. Ill. Leipzig. 1792. 8. Tb. I. p. 91.

h) L. I. §. 7. D. De suspect. rutor. vel curazor.

i) L. 8. D. Ad leg. Jul. maiest.

k) L. 13. D. De adculsat. et inscript.


l) L. 12. C. De his qui adculsat. non poss.

Impp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Corinthiae.

De crimine quod publicorum fueris iudiciorum, mulieri adculfare non permittitur, nisi certis ex causis, id est si suam suorumque persequatur iniuriam secundum antiqui iuris statuta canum de quibus specialiter ei concessum est, non exacta subscriptio ne. Vnde aditus praeses provinciae in primis examinabit, an tale sit crimen, cuius adculfationem mulier subire non prohibeatur. S. V. Kal. Maj. AA. Coff.

Subscriptio huius legis addendum videtur: AA. Ver IV. Coff. Nam cum inscriptio doceat, eam post

B



licere respondent, nisi certis ex causis, si puta suam suorumque iniuriam exequatur secundum iuris antiqui statuta, nec tunc subscriptionem ab ea exigi. Suam iniuriam persequi, quid sit, nulla, opinor, explicatione eget. Sub nomine suorum quinam intelligendi sint, docet Papinianus *m*): in quos scilicet ex lege testimonium dicere nemo inuitus cogitur, quorum singulos quoque enumerat Paullus *n*). Itaque in iudicium ab iis vocari poterant, qui propinquos ipsarum necauerant *o*), qui plagium in illos commiserant *p*), qui falsi crimine laeserant filios *q*), tutoribus vel curatoribus, qui adetusandi munus in se fusciperent, destitutos *r*). Denique aduersus suspectum tutorem propinquorum, iudicis auxiliu

post caesares demum creatos, hoc est, post cal. Mart. a. p. C. n. 292. vel 293, emissam esse, et sequens lex CC. primum coss. hoc est, a. p. C. n. 294. subscripta sit: necesse est ut haec nostra ad annum<sup>1</sup> p. C. n. 293, quo V. et IV. coss. fuerunt AA. referatur.

Ad eam illustrandam conf. Harmenopuli, Περὶ σιγῶν νομῶν, e. e. Dion. Gothofredi 1587. 4. L. I. Tit. II. §. 40. p. 30. Cuiacii Com. in Papiniani L. I. De adulc. in Opp. ed. Neapol. Tom. IV. p. 1477. 1o. Fabri, Adnotaciones in Cod. Iustin. priores libr. IX. Lugd. 1594. 4. p. 430. Iac. Gothofredi, Com. ad Cod. Theodosi. L. 3. De adclus. et inscript. Henr. Theod. Pagenstecher, In Sexti Pomponii ad Sabin.

*de testamentaria et de bonor. possess.*  
Libr. IV. Lemg. 1733. 4. p. 45.  
Ant. Matthaei, Com. in Lib. XLVII. et XLVIII. D. de criminibus ad Lib. XLVIII. Tit. XIII. C. I. n. 2.  
Henr. Zoefii, Com. in Cod. Iustin. b. 2. adn. a. Io. Voetii, Com. in Pandect. ad L. XLVIII. Tit. II. n. 3.  
Io. Gottl. Heineccii, Antiquarizum Rom iurispr. illustr. Syntagma. L. IV. Tit. XVIII. n. 17.

*m) L. 2. pr. D. De adclus. et inscript.*

*n) L. 4. D. De resibus.*

*o) L. 1 et 2. pr. D. De adclus. et inscript.*

*p) L. 5. C. Ad. leg. Fab. de plag.*

*q) L. 2. pr. D. De adclus. et inscript.*

*r) L. 5. C. De bis qui adclus. non poss.*


lium implorare, Seueri et Antonini rescripto iis concessum est <sup>s)</sup>. Quaecunque vero esset cauſa, qua commota mulier ad adcfusandum procederet, hoc singulari vtebatur iure, vt a senatusconsulti Turpilliani poena immunis, in crimen subscribere non cogeretur. Adfirmasse hoc imperatores nostros modo diximus, neque est cur eorum rescriptum cum glossatoribus ad eas tantum cauſas, in quibus masculis quoque sine inscriptione adcfusare permisum erat, referamus: nam multa iuris Romani loca huic opinioni aduersantur. Marciānus <sup>r)</sup> enim omnes qui ab adcfusatione coepit destituent, etiamſi necessitate coacti id fecerint, tamen, abolitione non impetrata, in Turpilliani senatusconsulti poenam incidere contendit, excepta muliere et minore. Papinianus <sup>v)</sup> mulierem quae falsi crimen iniuriae propriae post denunciationem omiferit, non teneri illo senatusconsulto respondit: et Constantinus imperator <sup>x)</sup>, idem in mente habuisse videtur, dum de feminis, ob fecunditatem sexus ad actiones illicitas prouentibus, loquitur.

Praeter mulieres, et ii, qui arctiori pietatis vinculo cum reo coniuncti erant, iure Romano ab adcfusando remouebantur, quod quidem summa laude mihi dignum videtur. Omnis enim reipublicae falso, cum singularium familiarium saluti tanquam firmissimo fundamento superstructa sit, quomodo is, qui bonus filius vel frater esse desirerit, quamvis insanum praeſe ferat patriae amorem, bonus ciuiſi ſe poffit, equidem nullus intelligo. Turpissimi illi homines, ferociſſimique tyranni, quales plerique fuerunt, qui

B 2

ante

<sup>s)</sup> L. I. §. 7. D. De ſuſpect. tut.      <sup>v)</sup> L. 4. D. Ad. SC. Turpill. vel curar. §. 3. Inst. De ſuſp. tut.      <sup>x)</sup> L. 3. C. Theod. De adcfufar. et  
<sup>r)</sup> L. I. §. 10. D. Ad SC. Turpill. inſcript.



ante Diocletianum Romanum orbem gubernarunt, vel deuastarunt potius, cum ipsi, omne ius susque deque habentes, fuos ipsorum parentes, fratres, adfines necare haud dubitarent, et huic vni rei intenti fuisse videantur, ut fiscus nunquam non publicatorum bonorum copia abundaret: nunquam, credo, de mutua ciuium pietate conseruanda stabienda cogitarunt. At plane alia sensit Diocletianus noster, quod constitutiones eius, nobis seruatae, ostendunt. Primum huc pertinet rescriptum<sup>y)</sup> matri datum, quae filium propter infidias vitae stractas adcufare cupiebat. Hanc quamquam non repulit, quod leges, ne liberi impunitatis spe ad scelera perpetranda inuitarentur, hanc eos deferendi potestatem iam olim fecerant parentibus, qui illa haud abusuri videbantur: eidem tamen, quid sibi placeret, eo haud obscure ostendit, quod eam pietatis animique materni admonuit.

Porro qui frater fratrem grauiore et capitalis criminis adcufare instituisset, eum non modo non audiendum, sed exili quoque poena adficiendum, imperatores nostri iusserunt<sup>z)</sup>, neque tamen prohi-

<sup>y)</sup> L. 14. C. De his qui adcuf. non poss.

Impp. Dioclet. et Maxim. AA.  
et CC. Acliae.

Propter infidias quas ruae vitae paratus contendis, adcufacionem apud praesidem prouinciae contra filium tuum, si pietas et ratio naturalis animi tui non revocat intentionem constitueres potes. S. XVI. Kal. Marr. CC. Coss. (a. p. C. n. 294).

<sup>z)</sup> L. 13. C. eod.

Impp. Dioclet. et Maxim. AA.  
et CC. ad Asclepium.

Si magnum et caprile crimen ac non leue frater contra fratrem suum instituit: non solum audiendum non est, sed etiam exili poena plctendus est. Datum. X. Kal. Febr. CC. Coss. (a. p. C. n. 294.)

Conf. Harmenopolus, d. l. L. I  
Tit. II. § 48. p. 31. Mathaeus,  
d. l. ad L. XLVIII. C. I. n. 16.

prohibuerunt, fratres forores leuiorum commissorum reos facere a). An idem antiquioribus Romanorum legibus statutum iam fuerit, nescio: hoc certum est, id falso ex illo Modestini fragmanto b) adfirmari, in quo iurisconsultus melius esse dicit, tutori, qui vel patronatus, vel sanguinis vinculis pupillo coniunctus sit, si a tutela remouendus videatur, alium tutorem vel curatorem adjungere, quam eum, notata fide, remouere. Suadet enim tantummodo Modestinus humanitatem sequi, non legibus id praeceptum contendit: id quod cum ex verbis ipsius, tum ex aliis legibus c) adparet et praeterea iam inde colligi potest, quod ibi fratribus alii quoque cognati et adfines iuncti sunt, quos nemo vnuquam adcufari non posse opinatus est. Nonnulli interpres d) propter Vlpiani e) verba, ius quodammodo fraternitatis in se habere societatem, quae de fratribus modo diximus, ad socios extendere voluerunt. At quicunque illum Vlpiani locum inspexerit, intelliget, ibi de communi tantum in bonis iure, non de animi indole mutuoque amore sermonem esse f). Infidias vitae struntas a reliquis capitalibus criminibus ita excipi glostatores existimant, vt earum fratres adcufari possint, quoniam, quod matri sit permisum, multo magis per-

B 3 mitten-

a) L. 18. C. cod.

Impp. Dioclet. et Maxim. AA.  
et CC. Iulianos.

Si fororem tuam leuiorum commissorum ream facis, adcausationem non prohiberis exercere in iudicio praefidalis: quo temerarie commissa congrua vltione placentur. Dat. III.  
Kal. Mart. Dioclet. IX et Maxim. VIII. AA. Coss. (a.p.C. n. 304.)

b) L. 9. D. De susp. tutor. vel


curas.

c) Henr. Brenkmann, De cure-  
maricis Diatr. C. V.

d) Io. Faber, Ad Cod. p. 450.

e) L. 63. pr. D. Pro soc.

f) Conf. Petr. Perenonii, Anim-  
aduersi, et var. lect. L. II. c. 12. in  
Ottonis, Theſ. Tom. I. p. 643.  
Marqu. Freheri, Parerga L. I. c. 5.  
in Ottonis, Theſ. T. I. p. 867.



mittendum sit fratribus non tam arcto pietatis vinculo inter se iunctis: at non cogitarunt, parentibus omnino non adculatione liberorum interdictum fuisse.

Praeterea Diocletianus et Maximianus g) ne ei quidem adculatoris munus subire permiserunt, qui, licet ingenuus, in eius quem adculare cupiebat domo, a prima pueritia educatus esset: rati, id temporum suorum beatitudini non conuenire. Quae eorum sententia non humanitatis modo, sed prudentiae quoque laude, quam maxime mihi commendari videtur. Leges enim nulla regalis sua priuantur auctoritate, quam si id, quod tanquam turpe et inhumanum omnes detestantur, non modo fieri sinunt, sed adeo iubent, praemiisque ornant: cum contra ea nihil magis leges civibus commendet, quam si eas cum boni rectique sensu, a natura omnibus indito, amice conspirare intelligunt.

Qui propter turpe lucrum ciues capitalis iudicij periculo subiicere haud dubitabant, hi quoque, summo omnium bonorum contemtu notati, ab adculando repellebantur. Inde factum, ut nemi-

g) L. 17. C. De his qui adcul. cuius domo eum, licet ingenuum, a prima aetate tamquam fuisse constabat.

Quare ex nomine Thaumafis mentio super conflictu criminis cum Symmacho conquefcat. Si quam sane ciuilis peritatem idem Thaumafis sibi competere confidit, iudicio praefidali poterit experiri. (incertum an ad a. p. C. n. 299, 303 vel 304. referenda sit.)

Iniquum et longe a seculi nostri beatitudine esse credimus, ut Thaumafis adculandi eius habent facultatem, in

nemini tria simul iudicia subscribere licet: solo enim lucri amore et studio tantam adetusandi cupiditatem inspirari posse Romani existimabant *b*). Ex hac legum sententia imperatores nostri rescriperunt *i*), cum rationibus iuris congruere desiderium eius, qui postulareret tertiam adetusationem ei, qui duos reos iam delatos habeat, non permitti, nisi si suas vel suorum iniurias persequuturus, a turpis lucri suspicione liber sit. Huic Diocletiani et Maximiani sententiae, quacum optime consentit Macer *k*), nonnullos, ut qui duo iudicia aduersus duos reos subscripta habeant, propter turpem quaestum ab adetusando repellli adfirmans, aduersari videtur Venuleius *l*), dum lege Iulia iudiciorum publicorum cautum esse ait, ne eodem tempore de duobus reis quis quereretur, nisi suarum iniuriarum causa. Nec minus obstat videtur, quae de adulterii adetusatione pluribus locis legitimus statuta *m*): non licere, ne iure mariti

*b*) L. 8. D. De adetus. et inscr.

*i*) L. 16. C. De bis qui adetus. non poss.

Impp. Dioclet. et Maxim. AA. er CC Callirico.

Cum rationibus iuris congruit desiderium tuum, postulantis, adetusationem tertiam, ei qui duos reos delatos haberet non permitti contra legis praescripta, nisi suas suorumque iniurias quis persequatur. S. XII. Kal. Decembr. Nicomediae CC. Coss. (a. p. C. n. 294.)

Conf. Cuiacii. Observat. L. VI. obf. 12. in Opp. Tom. III. p. 146. Iac. Leftius, Ad Aemil. Macrum de

publ. iudic. in Ottonis, Thes. Tom. I. p. 102. Radolph. Fornerii, Res quoridianae, L. IV. c. 15. in Ottonis, Thes. Tom. II. p. 240. Mathaeus, d. l. ad L. XLVIII. Tit. VIII. C. I. n. 10. Voetius, d. l. Ad Tit. D. De adetus. et inscr. n. 10. Io. Brunnemann, Com. in Cod. b. l. Io. Iac. Wissenbachii, Exercitaz. ad Pandect. Pars II. Diff. XXXII. n. 17.

*k*) L. 8. D. De adetus. et inscr.

*l*) L. 12. §. 2. D. cod.

*m*) L. 8. C. Ad leg. Iul. de adult. L. 15. §. vlt. L. 32. §. 1. L. 39. D. cod. L. 1. §. 10. D. Ad SC. Turpili. Conf. Cuiacii, Com. in Pinianis

mariti quidem, adulterum et adulteram simul reos facere. At haec ita statuta videntur per fauorem quendam nuptiarum, et propter ea iura, quae mulieribus concessa erant, ne, puta, constante matrimonio adcussari possent, ante quam maritus lenocinii conuictus esset, quamquam adulterum deferre licebat: vtque, folio priori matrimonio, si aliud iniurient, non ante inter reos recipi possent, quam adulteri damnatus esset: nam hoc vincente ipsae simul pro innocentibus habebantur, hoc condemnato, non tamen ipsae conuictae erant, sed cum vel gratia, vel iustitia vel legis auxilio iuuari possent, singulari iudicio erant subiiciendae. Ut autem haec sint, id certe constat, non propterea, quod ab eodem duo simul adcussari non possent, prohibitum esse, ne adulteri et adulteria simul adcussarentur. Multa enim inueniuntur iuris nostri loca, quae duorum simul adcussionem diserte permisam esse declarant. Nam vna cum adultera eum adcussari posse legimus, qui lenocinium commisisse dicatur *n*): alio loco *o*) inuenimus, communne incestus crimen in utroque reo simul persequi licere: porro Hadrianus rescriptisse traditur *p*) non oportere compelli adcussatorem, ut plures reos faciat, id quod ridiculum fuisset, nisi facere licuisse: legimus etiam *q*) maritum, et si duos reos ex alio crimine delatos habeat, iure mariti tertium adcussare posse, quia haec causa non cadat in numerum ceterarum: et in ipso denique adulterii criminis duos

*piniani resp.* *L. XV.* p. 1395. *Io.*

*Guil. Hoffmanni, Com. ad leg. Iul. de*

*adult. Lipz.* 1752. 4. p. 133. *Ma-*

*thaeus, d. l. ad L. XLVIII. Tit. III.*

*C IV. n. 3.*

*n) L. 32. §. 1. D. Ad leg. Iul. de adultr.*

*o) L. 7. L. 39. §. 7. D. eod.*

*Guil. Hoffmanni, Com. ad leg. Iul. de*

*adult. Lipz.* 1752. 4. p. 133. *Ma-*

*thaeus, d. l. ad L. XLVIII. Tit. III.*

*C IV. n. 3.*

*p) L. 19. D. De adcussat. et in-*

*script.*

*q) L. 6. §. 3. D. Ad leg. Iul. de adultr.*

duos vxoris adulteros simul adcussari posse, Paullus <sup>r)</sup> censet. Quae cum ita sint, non video quomodo stare possit sententia Fornerii et Voetii, negantium, quemquam, nisi si suas vel suorum iniurias persequatur, duorum vel plurium adcussatorem esse posse, et Macrum aequo ac nostros imperatores, eiusmodi speciem in mente habuisse: quod tanto minus locum habere potest, quo clarius adparet, Macrum non de singulare aliqua specie respondisse, sed regulas iuris communes exprimere voluisse. Neque illud me mouet, quod Voetius profert, duplarem subscriptionem propterea non admittendam fuisse, quod adcussator, in utroque iudicio calumniae damnatus, non nisi alterius calumniae poenam subire potuisset: nam si hac ex causa duplex adcussatio locum habere non potuisset, ne ob suam quidem vel suorum iniurias concedi potuisset secunda aut tertia adcussatio, illa quidem subscriptione non libera. Quid ergo? Quomodo Venuleium imperatoribus nostris et Macro conciliemus? Omnia plana sunt et expedita, si cum Cuiacio, Leclio, Mathaeo, Wislenbachio aliquis, verbis Venuleii immutatis, non de *tribus* reis eodem tempore queri licere, legimus. Et quamvis basilica <sup>s)</sup> huic coniecturae repugnat, tamen eam probare non dubito, cum nihil videam, quod praeterea ad hanc rem expedientiam proferri possit. Nam quod forte aliquis dixerit, lege Iulia caustum esse, ne duos reos simul idem adcussaret, sed mox ab hoc iure recessum, id propterea minus mihi probatur, quod facilius fieri potuisse existimo, ut librarius in scribendo leuem errorem committeret, quam Tribonianus ius abrogatum reciperet: et quod

cum

<sup>r)</sup> Paullus, *Recept. Sent. L. II.* *Iurisprud. ver. ante Iust. Lugd. Bat.*  
*Tit. XXVI. §. 10.* in Schultingii, *1717. 4. p. 320.*

<sup>s)</sup> Basilic. *L. XII. Tit. 34.*



cum glossa Brunnemannus profert, duos non uno libello, diuersis autem deferre licuisse: Venuleii verbis, ne quis *eodem tempore* duos reos delatos habeat, refutatur.

Infames quoque, vti vetustioribus legibus, ita et a Diocletiano et Maximiano ab adcuſando repulſoſe, ex horum rescripto adparet 2).

Haec de adcuſatoribus. Quod ad reos adtinet, imperatores, quorum rescripta explicanda nobis ſumifimus, iuriſ veteriſ regula, ne quis ob idem crimen bis adcuſari poſſet, rescripto u) firma- runt. Iam liberae reipublicae temporibus neutiquam duos ſimil ad

2) L. 15. C. De his qui adcuſi- non poſſe.

Imp. Diocler. et Maxim. AA. er CC. Lupioni.

Criminis adcuſacionem iuſtituire cum periculo calumniae, ſi tibi exiſtimatio integra eft, minime prohiberis. S. III.

Kal. Mar. CC. Cofſ. (a. p. C. n. 294.)

u) L. 9. C. De adcuſat. et inſcript.

Imp. Diocler. et Maxim. AA.

Honoraro.

Qui de criminis publico in adcuſationem deductus eft, ab alio ſuper eodem criminis deferri non poſſet. Si ramen ex eodem facto plurima criminia naſcuntur, et de uno criminis fuerit in adcuſacionem deductus: de altero non prohiberis, ab alio deferri. Index autem ſuper veroque criminis audi-

riam adcommodebit. Nec enim libebit ei ſeparazim de uno criminis ſententiā proferre, priuquam pleniffima examinatio ſuper altero quoque criminis fitar. PP. XIV. Kal Septemb. Baffo II. er Quindiano Cofſ. (a. p. C. n. 289.)

Conf. Cuiacii, Com. ad Cod. b. I. in Opp. Tom. IX p. 1381. et ad Tit. Cod. Quib. res iudic. non noc. p. 1098.

Io Fabri, Com. ad Cod. b. I. Ant. Perezii, Praelectiones in Cod. b. I. n.

15. ed. Amſelod. 1653. fol. p. 593.

Voetius, d.l. Ad Tit. D. Deadcuſat. et inſcript. n. 11. Mathaeus, d.l.

ad L. XLVIII. Tit. XIII. C. III. n. 3.

H. G. van Vryhoff, Ohſeruar. iur. ciu. Amſelod. 1747. 8. C. XV.

p. 73.

ad eiusdem criminis adcusementem admissos fuisse, ex diuinationis viu et consuetudine adparet, idemque iure pandectarum tradi, contra basilicorum errores recte docet Vryhoffius. In cuius legis fraudem, id sibi excogitasse videtur delatorum astutia, ut e diuersis legibus, de eodem crimine latis, eundem in ius vocarent: necesse enim putauit senatus cauere, ne quis ob idem crimen pluribus legibus reus fieret  $\alpha$ ). Quod senatusconsultum, an idem sit, cuius Suetonius  $\gamma$ ) in Titi Vespasiani vita mentionem iniicit, his verbis usus: vetuit inter cetera de eadem re pluribus legibus agi, non dirimam. Sed si quis plura delicta simul commiserat, nostri imperatores non modo non prohibitum declararunt, quo minus istum duo simul diuersis criminibus adcusement, sed etiam, ut reus pro merito puniretur, constituerunt, ne iudex sententiam de alterutro crimen ante ferret, quam vtrunque examinasset. Iam quaeri poterit, an absolutum reum alii liceat eodem crimen adcusement? Et licuisse omnino arbitror, cum res inter alios iudicata, ad alios nullo modo pertineat. Suadente tamen aequitate, ne quis perpetuis adcusementibus vexaretur, haec deferendi libertas ita refricta est, ut qui absolutum eodem crimen repetere vellet, vel docere deberet se suam iniuriam persequiturum esse, nec adcusement ab alio institutam sibi innotuisse  $\alpha$ ), vel priorem adcusatorem praeuaricationis reum esse  $\alpha$ ). Haec lege Iulia iudiciorum publicorum statuta erant, quae et Diocletianus et Maximianus firmarunt  $\beta$ ). Idem

C 2

infu-

$\alpha$ ) L. 14. D. De adcusat. et inscript.

$\alpha$ ) L. 3. D. De praeuaricar.

$\gamma$ ) Suetonius, In vita Titi Vespasiani. C. VIII.

$\beta$ ) L. 11. C. De adcusat. et inscript.

$\alpha$ ) L. 7. §. 2. D. De adcusat. et inscript.

Impp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. liberis Crispinae Charis-

fimae nobis.

Si quis homicidii crimen exstimator per-  
sequen-

insuper declararunt, si quis commisisset facinus, duplex crimen involens, atque altero criminis absolitus esset, eum tamen postea de altero in iudicium vocari posse.

Iam

*sequendum, secundum iuris publici formam debebit eum qui in primordio homicidii postulauerit reum, neque probauerit, id quoque reus absolvitus est, praeuaricationis arguere. Id enim salubriter statutum principum, parentum nostrorum, iurisque forma praescriptum est. Vel si id non patuerit agendum, ad sequens crimen, id est pastorum latronum descendere cum cogen, arque id exsequi iudicio tuo: cum si quidem ab incusato adpareat esse coniustum, ob ultionem publicam obnoxius legibus fias. Datum. VIII. Id April. Annibaliano et Asclepiodoro Cosi. (a p. C. n. 292.)*

In huius legis inscriptione an CC. recte additi sint, decernere non audeo. (*Vid. Dioclet. et Maxim. exerc. I. p. 20. n. z.*) Verba illa *Liberis Crispinac Charissimae nobis*, falsa esse, ipsa constitutionis verba docent, ad magistratum missae, qui aedificatorem cogat ad sequens crimen descendere, et id iudicio suo exsequi. Hinc Cuiacio adsentior qui in *Observat. L. I. Obs. 15. p. 8.* e veteribus libris ita inscriptionem emendat: *Habe Crispine Charissime nobis:* quocum et consentit Ant. Contius, in *Disputat. L. I. t. 6. in Opp. Paris. 1616. 4. p. 206.*

Notatu quoque dignum est, hac in lege pastorum crimen eodem sensu ac latronum, occurrere. Exinde enim adparet, quam tristis fuerit illis temporibus Rom. imperii conditio, quibus pastores perpetuis bellis, immensis exactiobibus, aliquis calamitatibus efferrati, iidemque montium et syluarum solitudinibus ruti, imperii imbecillitate ita abuterentur, ut palam latrocinia facere solerent. Cuiaciis (*Com. ad. Cod. b. l. p. 1382.*) quidem putauit ob Bagaudarum seditionem quorum plerique agrestes homines fuerunt, pastores cum latribus commisceri, eumque sequurus est Gothofredus, ad *L. vn. Cod. Theod.* *Ne pastor. dent. fil. nur.* At loca scriptorum a Gothofredo et Franc. Duaren, *Disp. annivers. L. II. c. 12. in Opp. Francof. 1598. fol p. 1065.* laudata, praecipue *L. vn. Cod. Theod. Ne pastor. dent. fil. nur.* satis demonstrant, aliis quoque temporibus, in plerisque provinciis, nisi in omnibus, pastores latrocinando viatum quaestiuisse: ita ut non de Bagaudis cogitare necesse habeamus, qui proprie ne latrones quidem dici possunt.

Ceterum de hac lege conf. Io. Faber,

Iam quod ad locum, vbi quis adcufari posset, adtinet, veterem iuris Romani regulam, posse quemque, vbi degat, adcufari, firmant c).

Maioris momenti alia est constitutio Diocletiani d), mox pri-  
mis post suscepsum imperium diebus, ad praefidem vel alium ma-  
gistratum data, qua edixit, vt nemo inuitus ad adcufandum coge-  
retur. Egregium profecto futuri imperii specimen. Difficile est  
de necessitate huius legis sibi persuadere, cum eo vsque tyranni-  
dem processisse vix credi posset, vt ciues adcufationem fuscipere  
cogerentur, vnde nihil commodi perciperent, ad quam persequen-  
dam forte otio et testimoniorum carerent, et per quam tamen bono-  
rum, famae, vitae periculum subirent. Sed omnium temporum  
historia satis docet, quam mira, ne alio verbo vtar, sub publicae  
salutis specie facta sint. Iuuat hic, quod Seruino e) placuit, com-  
memorare. Hic ciues omnes, quamquam non ad adcufandum more  
Romane, tamen ad deferendum, poenis propositis, ita cogendos

C 3 putat,

Faber, b. I. Gothofredus, ad L. vn.  
Cod. Thod. Ne paſt. dent. fil. uirr.  
e) L. 2 C. Vbi de crimin. agi oport.

Impp. Dioclet. et Maxim. AA. et  
CC. Niceae.

Sciens liberum venundando, plagii  
crimen committit. Ab eo itaque, qui  
super hoc queri posset adiutor compe-  
tens iudex, si is quem puerum inge-  
nuum vendidisse proponit, ibi degit,  
ibi cauſsam cognoscet. Dat. II. Non.  
Febr. Sirmii CC. Coss. (a. p. C. n.  
294)

Conf. Marthaeus, d. I. ad L. XLVIII.  
Tit. XIII. C. V. n. 4. Perez, d. I.  
p. 107.  
d) L. vn. C. Ut nemo inu. ag. vel.  
adcuf. cog.

Imp. Diocletianus A. Camerio.  
Inuitus agere vel adcufare nemo coga-  
tur. Dat. Id. Octobr. Carnio II. et  
Numeriano Coss. (a. p. C. n. 284.)  
e) Seruin, De la legislation crimi-  
nelle Basle 1782. 8. Germ Vers. c.  
Io. Ern. Gruner, Norimb. 1786. 8.  
L. III. c. 2. §. I. p. 412.

putat, vt quisque, qui vel ipse aliquo delicto offensus fuerit, vel aliquem delinquisse cognoverit, nec mox iudicem de hac re certiorum fecerit, si delicta essent leuiora, pecunia multaretur, si grauiora, ciuitate priuaretur. Verum quidem est per solam delationem non iisdem, quibus per adcausationem, periculis aliquem exponi, ideoque multum interesse, vtrum adcausare quis cogatur, an tantum delicta iudici nunciare: sed multa alia hic perpendenda sunt, quae et hoc quam maxime disfluadent. Nam etiam si illi concedere velim, falsam esse eorum opinionem, qui magni altique animi esse ducunt, ei, qui nos offendit, ignoscere, eoque, etiam si indigno, vitam, libertatem, famam seruare; humilis contra ac inhumani, hominem, qui hoc vel illo modo excusari possit, ac speim faciat, in posterum a criminibus committendis sibi temperaturum esse, legum seueritati tradere: tamen cum illa opinio ex hominum amore, sanctissimo officiorum fonte, promaneat, quandam ei deberi reverentiam iudico, praesertim cum nihil aegrius homines ferant, quam vim, qua contra suam de bono iustoque opinionem gere coguntur. Quid quod? non a vero absimile mihi videtur, plerosque hac indignatione commotos, metuque, ne, si crimen commissum patesiat, ipsi quoque, tanquam consciit puniantur, sollicitos, nihil non esse facturos, vt crimina occultent. Et etiam si haec non eueniant, tamen, si omissam delationem delicti instar punire velimus, non modo reorum multitudo nimium quantum augebitur, sed etiam, cum singuli singulos tanquam delatores metuere cogantur, morum simplicitas simulationi, fides suspicio cedet, omnibusque fere societatis vinculis solutis, omnis e vita suauitas sublata euanescat.

Romanorum imperatores, cum iam honestior fere quisque adcausandi prouinciam detestaretur, certis viris id munus iniungere  
coactos

coactos esse, supra monuimus. Inter hos fuerunt stationarii, seu milites, qui praesidibus prouinciarum eo consilio additi erant, vt eorum sententias exsequerentur, latrones persequerentur, aliisque modis prouinciarum saluti prospicerent. Hi per tristia illa ante Diocletianum tempora, quibus pro iure vis erat, munere suo ita abutebantur, vt non modo infantes quosque calumniari auderent, sed etiam querelas ciuium ad se deferri sinerent, ipsique, sua auctoritate, quos reos iudicassent, in carceres detruerent. Hinc imperatores nostri, primis imperii annis, hoc sibi agendum putauerunt, vt horum stationariorum licentiam coercerent, hacque de causa edictum emiserunt f), ne quis, qui iniuriam ab aliquo se passum esse existimaret, ad stationarios decurreret, sed legitimum iudicem adiret. Quam legem sub imperatoriis militum insolentiam haud ferentibus et iuri dicendo intentis, effectu neutiquam caruisse, quam maxime verosimile est: at sub principum, qui eos exceperunt, auspiciis, veterem stationariorum similiusque hominum furorem rediisse, immo magis increuisse, leges posse contra eos emissae ostendunt.

Aliud fuit hominum genus, quod imperatorum iustitiae administrandae incuria abusum, sui commodi causa, iudicia turbaret:


f) L. 8. C. De accusat. et inscript.

Exemplum sacrarum litterarum Diocletiani et Maximiani  
AA.

*Si quis se iniuriam ab aliquo passum  
putauerit, et querelam deferre voluerit: non ad stationarios decurrat,*

*sed praesidalem aderat potestatem, auribellos offerens, aut querelas suas apud acta deponens. PP. (ante a.p. C. n. 292, vel. 293).*

Conf. Cuiacius, *Ad Cod. b. l.*  
p. 1376. Gothofredus, *Ad. L. I.*  
*Cod. Theod. De curiosis.* Bar. Bris-  
tonius, *De verb. sign. in voce Stationarius.*



baret: iudicium comites ac familiares. Hi, ipsis iudicibus haud dubie adnuentibus, consuetudinem negotiorum explicandorum spem vendendi, ita introduxerant, ut nihil illiciti facere viderentur. Cui malo ut mederentur imperatores nostri, declararunt g), eum qui explicandi negotii spem, cuius finis in iudicis potestate situs fit, vendat, non minus crimen contrahere, quam illum, qui ad tam illicitam promissionem adspiret. Poenam iudicis comiti ita delinquenti propositam fuisse illam legis Iuliae repetundarum, e Macro b) discimus: et Paullus i) tradit, eum ex iudicis amicitia vel familiaritate, qui mentientes euentus sententiarum vendiderit, quidue obtentu nominis iudicis fecerit, pro modo delicti, aut relegatum aut capite punitum esse. Praeterea eiusmodi hominem a iudice iniuriarum postulari potuisse constat k). Sed id tum demum obtinuisse, si iudici se pecuniam daturum dixisset, Cuiacius minus recte adfirmasse videtur. Quasi vero si quis iudex, odio vel fauore

g) L. 10. C. eod.

Imp. Diocler. et Maxim.  
AA. et CC Virsae.

Qui explicandi negotii spem, cuius finis in iudicis potestate ac motu sicutus est, pollicetur: non minus ob illicitam sponsonem crimen contrabit, quam qui ad huiusmodi promissionis commercium contra disciplinam publicam adspirat. PP. III. Kal. Novembr. ipsis IV. et III. AA. Coss. (a. p. C. n. 290).

In inscriptione falso additos esse  
CC. ex anno subscripto patet. Conf.  
Duarenii, Disp. anniuer. L. I. c. 25.

in Opp. p. 1039. Ciuiacii, Obseru.  
L. XX. Obs. 9. p. 515. Eiusd. et Schultingii, Notae ad Paulli recep.  
sent. L. V. Tit. XXV. n. 13. in schultingii, Iurispr. vet. ante Iust. p. 519.  
Libanii, Or V. Πάρα των πραγμάτων των αρχαίων. et ad eam Iac. Góthofredi notae, in Eiusd. Opp. iurid. minor. c. Chr. Henr. Trotzii, Lugd. Bat. 1733. fcl. p. 44.

b) L. 5. D. De leg. Iul. reperund.

i) Recept. sentent L. V. Tit. XXIII.  
in Schultingii, Iurispr. vet. ante  
Iust. p. 519.

k) L. 15. §. 30. D. De iniuriis.

fauore commotus, ius infringat, non aequa delinquit, ac qui, pecunia corruptus, illud infregerit. Crimen illius qui iudicem corrumpere studuerat, sub confuento falsi nomine comprehensum, et falsi poena punitum esse leges ostendunt *l*), unde nullus dubito, huic criminum classi et amicorum iudicis corruptionem adnumeratam esse. Solebant enim Romani sub communi nomine plura crimina, saepe toto coelo inter se distantia, complecti, et una eademque poena adficere: quod quidem eos, magnae in caussis criminum examinantis negligentiae arguere neque vlo modo excusari posse videtur. Quemadmodum vero hi fumi venditores, sic enim isti homines audiebant, ab imperatoribus Diocletiano prioribus ne seuerissimis quidem poenis, quarum horrendum Alexander Seuerus edidit exemplum *m*), opprimi potuerunt, ita nec posthaec eos extintos esse, grauissimae Libanii de iis querimoniae testantur.

## §. II.

### *De ratione veritatem criminum eruendi.*

Huc praeceps eae Diocletiani et Maximiani constitutiones referenda sunt, quae ad quaestiones pertinent, apud Romanos, quod omnes norunt, ab antiquissimis inde temporibus visitatas. De his illi primum sanxerunt *n*), ne a tormentis initium iudicio-

rum


*l*) *L. 21. D. Ad. leg. Corn. de falsi.*

*m*) Lamprid. in *Alexandro seu C. XXIII. et XXXVI.*

*n*) *L. 8. C. De quaestione. Imp. Dioclet. et Maxim. A.A. ad Sallustium praesidem.*

*Milites neque tormentis neque plebeiorum poenis in caussis criminum subiungi concedimus, etiam si non emeritis stipendiis suis, videantur esse dimissi: exceptis his, qui scilicet ignorantes sunt soluri. Quod et in filiis militum et veteranorum seruabitur.*

D



rum fieret, sed iudices antea verosimilibus et probabilibus vterentur argumentis quibus veluti certis indicis duci possent. Id cum, Vlpiano teste o), iam ab Augusto statutum, et ab Hadriano firmatum esset, neque eo fecius ut a nostris augustis denuo iudicibus iniungeretur necessitas vrgeret, istis temporibus sanctissimas humanitatis et fanae rationis leges prostratas, pedibusque quasi proculatas iacuisse adparet. Cur vero Diocletianus, qui tam recte atque humaniter de his rebus cogitabat, satis habuerit, crudelitatem et iniustitiam quaestionum tantummodo circumscribere, nec potius eas, cum sint fallacissimum veri inueniendi praefidium, omnino sustulerit, difficile esset dictu, nisi hac nostra aetate vidissimus, longam confuetudinem et praeiudicatas opiniones facere, ut viri haud vulgari ingenii acumine praediti p), etiamnum illas iustas et necessarias censeant. Neque hi pro sua sententia id adducere posunt, quod Diocletianus non sine magna veri specie proferre poterat,

bitur. Oportet autem iudices nec in bis criminibus, quae publicorum iudiciorum sunt, a tormentis initium sumere, sed argumentis primum verosimilibus probabilibusque vti. Et si his veluti certis indicis dudi, investigandae veritatis graria, ad tormenta putauerint esse venientium, tunc id demum facere debebunt si personarum condicio patiatur. Hac enim ratione etiam vniuersi provinciales nostri fructum ingentiae nobis benevolentiae consequentur. PP.

Ante a. p. C. n. 292. vel 293. emissum esse hanc legem, ex in-

scriptione patet, et si ordine chronologico positae sunt leges huius tituli, quod in plerisque factum animadvertisimus, ante annum 290. proposita esse debet, quo ineunte sequens promulgata est constitutio.

Conf. Henr. Bodini, *Dis. ad L. 8. C de quaest. Halae 1697. 4.*

o) *L. I. pr. et §. I. D. De quaest.*

p) Chr. Gottl. Gmelin, *Grundzüge der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen. Tübingen 1785. 8. §. 247. sqq.*

rat, immensam seruorum et vilissimorum hominum, quibus imperium Romanum scatebat, turbam, non nisi metu contineri posse, neque quidquam quod illis iniiciat metum adeo crudele esse, quo uti non liceat.

Porro, a tormentorum cruciatu, cui et liberos homines in atrocioribus delictis sub imperatoribus subditos esse, neminem fugit, milites plane liberauerunt *q*), vel potius hoc ius, iam antiquitus illis concessionem *r*), ad eos quoque qui non emeritis stipendiis, modo honeste, missi essent, militumque filios, quibus illud antea fuisse, nusquam me legere memini, extenderunt. Cuius noui priuilegii caussa neminem latere potest, qui nostrorum imperatorum historiam habet cognitam.

Hoc eodem iure gaudebant viri eminentissimi et perfectissimi, quibus et senatores, quamquam hi proprie dicebantur clarissimi, adnumerandi videntur: itemque decuriones vtrorumque filii usque ad pronepotes *s*). Illorum quidem liberis illud a D. Marco

D 2

con-

*q*) L. 8. C. de quaest. Conf. Chr. Henr. Trotz, *De memoria propagata, Traj. ad Rhei. 1734. 8. L. I. c. V. p. 306.*


*r*) L. 3. §. 1. et §. 10. D. De re milit.

*s*) L. 11. C. De Quaest.

Imp. Dioclet. et Maxim. AA.  
et CC. Boebo.

Duo Marco placuit, eminentissimum quidem, nec non etiam perfectissi-

simorum virorum liberos usque ad pronepotes, plebeiorum poenis vel quaestionibus non subiici. si tamen propriis gradus liberos, per quos id priuilegium ad ulteriore gradum transgreditur, nulla violati pudoris macula affligerit. In decurionibus autem, et filiis eorum, hoc obseruari vir prudensissimus Domitius Ulpianus, in publicarum disceptationum libris ad perennem scientiam et memoriam refert, PP. V. Kal. Decembri ipsius



concessum esse, imperatores nostri referunt: decurionibus a D. Pio tributum scimus i): horumque filii et iam ante Diocletianum et Maximianum fuisse, ex Vlpiani responso nouimus, et ab his confirmatum videmus. Quod autem imperatores nostri dicunt, tum demum ad virorum eminentissimorum et perfectissimorum, itemque decurionum nepotes et pronepotes illud priuilegium transfire, si prioris gradus liberos nulla violati pudoris macula adsparget: hoc, cum responsis iurisconsultorum quam maxime repugnare videatur, haud parum interpres excruciauit. Respondet enim Papinianus v), de senatoris filia loquutus, quaesitam dignitatem liberis propter delictum patris auferendam non esse: et Vlpianus x) adfirmat, non modo eum, qui ante quam pater senatu moueretur conceptus, etiam postea natus sit, tamen quasi senatoris filium haberi, sed etiam eum, qui haberet patrem et auum senatores, etiam patre ante conceptionem ipsius senatu moto, senatoris filius

ip[s]i IV. et III. A.A. Coss. (a. p. C. n. 290).

CC. falso in inscriptione huius legis mentionem fieri, e consulibus subscriptis adparet.

Conf. Cuiacii, *Obseru. L. XX. Ols. 29. p. 589.* Petr. Burgii, *Ele-cta c. 20. in Ottonis, Thes. Tom I. p. 341.* Guil. Fornerii, *Selecta, L. II. c. 20. in Ottonis, Thes. T. II. p. 70.* Eguin. Baronis, *Com. ad Prota. ad L. 7. D. De senator. in Opp. Paris 1598. fol Tom I. p. 124.* Ant. Fabri, *Rational ad Pand. ad L. 7. §. vlt. De senator. Iul. Pacii, Evagrioφανων, Cent. I. qu. 40.* Franc.

Ramofsi del Manzano, *Ad leges Iul. et Pap. Pop. Com. L. II. c. 6. n. 3. sqq. in Ger. Meermannii, Thes. iur. ciu. et canon. Tom. V. p. 134.* Wissenbachius, *Ad Pand. Dis. XL. Th. I. n. 13.* G. A. Strunius, *In Gorbofredi immo. Franc. 1695. 4. p. 13.* Io. Schilteri, *Exercit. ad Pand. Ex. XLIX. §. 163.* Brunne-mannus in *Cod. b. l. Trotzius, De mem. prop. L. I. c. 5.*

i) *L. vlt. D. De decurion.*

v) *L. 34. §. 3. D. De ritu nupi.*


x) *L. 7. §. 1. §. 2. D. De se-nator.*

filius haberi non possit, tamen, ut aui potius dignitas ei prospicit, quam oblitus casus patris, quasi nepotem senatoris haberi: idemque iurisconsultus *y*) de decurionum filiis ait, innocentii filio nullum patris delictum nocere. Quam pugnam ut componeret Cuiacius, rescripto Diocletianeo particulam *non* inseruit, ita ut sententia rescripti sit: virorum eminentissimorum et perfectissimorum filii vel nepotes si priuilegiis dignitatis essent priuati, nepotes et proprie nepotes quoque illa amittere, non item decurionum filios et nepotes: quod et Schilterus probauit. Trotzius emendatione Cuiaci reiecta, eundem sensum ex imperatorum verbis extorquere conatur, si modo mentem eius, inuolucris verborum obscuratam, satis percepit. Sed neque huius explicatione, neque illius emendatione, ista legum pugna omnino sublata est. Nam etiam si res de decurionibus sic esset composita, quos tamen vix existimo tanto praे viris eminentissimis et perfectissimis iure gauifos esse, tamen quaestio relinquitur de senatoribus, quos viris eminentissimis et perfectissimis adnumerandos esse, supra monuimus. Quae Burgius de his rebus disputatione, Vopianum disertam nepotum mentionem facere, imperatores contra inuiersum de liberis loqui, ideoque maiorem vim esse, specialiter quam generaliter expressi, ea a Trotzio iam refutata sunt. Baro, Fornerius, Antonius Faber, Ramosius, Pacius et cum iis Struuius, opinantur, filios poenis et quaestionibus subiciendos, per patris maculam, iure suo esse priuatos, in iisdem contra, nuptias inituris, paternae dignitatis rationem esse habitam. Quam sententiam ingeniosam magis quam veram arbitror, nec falli videtur Trotzius, qui eam iuris principiis et aequitati plane contrariam esse contendit. Inanis Wissenbachii subtilitas, qui

D 3

ait,

*y) L. 2. §. 7. D. De decurion.*



ait, priuilegium illud, per filium notatum non transgredi quidem ad nepotes, sed his proprium esse, nemini, credo, probabitur. Evidem arbitror, cum verbis legis nostrae, tum ceteris iuris placentis conuenientissimum esse, statuere, filiis, qui auita dignitate niti possent, nunquam nocuisse notam patris, siue ante, siue post hanc illi infictam, concepti essent, idque in vtrorumque liberis, cum decurionum, tum virorum eminentissimorum et perfectissimorum obseruatum esse. Nec aliter imperatores nostros sensisse existimo: qui quidem per liberos quos pudoris macula adspergat, non nisi eos intellexisse videntur, qui ex nuptiis, lege Iulia prohibitis, nati essent. Nam sexto legis Iuliae et Papiae Poppaeae capite cauetur, ne liberi contra hanc legem procreati, cum pro nullis sint habendi, parentibus vlo modo profint z): vnde necessario mihi sequi videtur, eos vt nec iis ipsis parentum, quibus orbati essent, dignitas vnquam quidquam profuerit.

Cetera quae de quaestionebus a Diocletiano et Maximiano statuta sunt, pertinent ad seruos, quos, quamvis ad verum edicendum paratos, cum in suis ipsorum, tum aliorum causis tormentis interrogatos esse constat. Aliter enim iis nihil credi posse Romanii existimabant. Quam crudelitatem atque facuitiam, humilitatis sensui, sanaeque ratione plane repugnantem, quomodo Antoninorum pietas, Diocletiani sapientia, et Christianorum imperatorum religio tolerare potuerit, vix animo concipi potest. Tendet diu hisce rebus immorari. Quare haud parum gaudeo, me in recensendis Diocletiani et Maximiani constitutionibus huc pertinentibus,

z) Io. Gottl. Heineccii, *Com. ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam* p. 83. et 189.

nentibus, paucis defungi posse, vel quod illae intellectu minus sunt difficiles, vel quod parum fructus inde ad nos redundare potest.

Primum illi rescripsérunt a), non esse dubium, seruos de facto suo, non solum in criminalibus caussis, sed etiam in pecuniariis, si per eos negotium aliquod gestum fuérit, posse interrogari.

Deinde b) praeisdem Syriae iusserunt in causa ingenuitatis per omnia interrogationum et quaestionum vestigia decurrere, ne alieni

a) L. 15. C. De quaestione.

Impp. Diocler. et Maxim. AA.  
et CC. Maximo.

Interrogari seruos de facto suo, non solum in criminali causa, sed etiam in pecuniaria, veluti quando per eos depositi vel commodati nomine, vel alii causis legibus cognitis, res alii praefitarae sunt, posse, non ambiguntur. S. I. Id. April. CC. Coss. (a. p. C. n. 294).


b) L. 9. C. eod.

Impp. Diocler. et Maxim. AA.  
er CC. ad Charissimum praefidem Syriae.

Super statu ingenuitatis, per omnia interrogationum et quaestionum vestigia decurrentum est: ne alienae forae folidae stirpes splendidis et ingenuis

natalibus audient subrogari: vel propria ac debita per compositionem quaestionem quibus comperit successio deneretur. Dar. VI. Id. Mai. Emissa ipsiis IV. et III. AA. Coss. (a. p. C. n. 290).

Caesares ex inscriptione delendi sunt, quod anno in subscriptione indicato, nulli fuerunt. An vero pro Charissimo, legendum sit Cario, quod Contius obferuauit, decernere non audio. Errasse Pancirolum (*Thebae*, var. lec. I. 79.) ceterosque qui Charissi nomen substituunt, summa, ut solet, eruditione, ostendit, Christianus Rauius, V. Ill castissimum iuris sacerdotis nomine, si quis alias, dignissimus, in elegantissimo libello: *De Aurelio Arcadio Charisio Ideo*, Lips. 1773. 4. Cap. II. Equidem exci-



alieni forte sordidae stirpis homines splendidis et ingenuis natalibus subrogarentur, vel debita successio, quibus competeret, deneretur. Quod ut necessarium putarent, haud dubie fecerunt turpissimae feminarum Romanarum fraudes, quae, cum praemissis plurim liberorum matribus propositis frui cuperent, tamen puerperii labores perferre nollent, saepissime alienos liberos pro suis venditare solebant. Hanc vero legem neutquam ad illos ipos, de quorum natalibus quaereretur, sed ad seruos tantum, qui fraudis participes esse crederentur, spectasse, Charisii iurisconsulti fragmentum c) ostendit, qui in causis liberalibus, nunquam eos, de quorum ingenuitate dubitaretur, torquendos esse respondet.

Tum in actione de falso testamento eos quoque seruorum torquere permisum voluerunt d), quibus pro herede se gerens libertatem concessisset; hac credo causa permoti, quod qui ad hoc manumisssus erat, ne torqueretur, e iuris Romani principiis e) quaestione non effugiebat.

#### Porro

excidisse praefidis nomen existimo, Charissimumque, solenne esse illud nomen, quod praefidibus ab imperatoribus tribui solebat. In subscriptione verbum *Emissa*, in *Emesa*, mutandum esse, nullus dubito.

c) L. 10. §. vlt. D. De quaestione.

d) L. 10. C. De quaestione.

Imp. Dioclet. et Maxim. AA.  
et CC. Prolemaco.

Cum testamentum falso esse propo-

nas: ad illuminandam veritatem, seruos hereditarios, eti libertas eius ab eo qui se heredem esse adfirmat, praefixa est, etiam per tormenta interrogari, constitutionibus principum est permisum. PP. VI. Kalend. Septembr. ipsis IV. et III. AA. Coff. (a. p. C. n. 290).

In huius quoque legis inscriptione CC. locum habere non posse, subscriptio demonstrat.

e) L. 1. §. 13. D. De quaestione.

Porro etiam illud, quod iuris auctoribus placuisse aiunt, suo calculo addito probarunt f), mancipia, de quorum dominio dubitaretur, si verum alia ratione reperiri non posset, torqueri posse.

Ceterum, cum de domini dominae salute agebatur, seruos torqueri, illicitum putabatur. Hinc pro domino eorum testimoniū non audiri, nostri effati sunt g): iidemque cum reliquis iuris Romani auctoribus h) in eo consenserunt, contra dominos, vel his offerentibus, seruos non interrogandos esse i). Cuius quidem rei ratio est in promtu: Cicero k) enim fatetur, non falsi testimonii metu id constitutum esse, sed quia indignum, et morte ipsa tristius sit, domini salutem ex seruorum ore pendere. Scilicet Romani, qui ipsorum immensus fuit fastus, contemtusque seruorum, noluerunt,

f) L. 12. C. De quaestione.

Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et  
CC. Aspro.

Quories de dominio mancipiorum trahatur, si alii probationibus veritas illuminari non possit: de se ipso esse cum tormentis interroganda, iuris auctores probant. PP. III. Id. Mai. Sirmii. Tiberiano et Dione Coss. (a. p. C. n. 291.)

Caesarum nomina male inscriptio-  
ni addita esse, ex subscriptione in-  
telligitur.

g) L. 14. C eod.

Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et  
CC. Constanio.

Seruos non solum pro dominis, sub  
quorum dominio sunt constituti, sed

nec pro his quorum antea fuerunt, in-  
terrogari posse constat. S. VIII Id.  
April. CC. Coss. (a. p. C. n. 294.)

b) L. 18. §. 7. D. De quaestione.


i) L. 7. C. De quaestione.

Imp. Dioclet. et Maxim. AA.  
Vrbanae.

Seruos qui proprii indubitate iuris  
tui probabuntur, ad interrogacionem,  
nec offerente te, produci sineremus:  
tantum abeas, ut etiam inuita te, con-  
tra dominam vocem rumpere coganur.  
PP. Kalend. Novembris. Maximo II.  
et Aquilino Coss. (a. p. C. n. 286.)

Conf. Cuiacium, Ad Cod. b. l.  
p. 1467.

k) Cicero, Orat. pro Milone. C.  
XXII.  
E



runt, ut seruis quidquam in dominos liceret, quo hi cogerentur, illos pluris, quam genus quoddam rerum suarum facere. Neque in eo adquieuerunt, ut seruos de iis dominis, in quorum potestate adhuc essent, interrogari haud paterentur: sed ut idem de iis quoque, in quorum potestate olim fuerant, valeret, fanxerunt, exceptis iis, qui propter crimina, dominio mancipiorum exuti fuerant *l).* Nec obstat quod supra diximus, seruos hereditarios quoque torqueri potuisse, cum de falso testamento, vel supposito partu ageretur: ibi enim de domino ipsorum nondum constabat *m).* Alter res sece habebat in seruo heredibus communi. Hic enim sicut imperatores nostri rescriperunt *n),* cum de ipsis dominio non ambigeretur, contra unum alterumue dominorum, minime torqueri poterat, nisi si horum alter alterum occidisse dicebatur: in qua exceptione nostri auctoritatem Hadriani sequuti videntur *o).*

#### Supereft

*l) L. I. §. 12. D. De quaestione.*

*m) L. 2. D. eod.*

*n) L. 13. C. De quaestione.*

*Imp. Diocler. et Maxim. AA. et  
CC. Philippae.*

Hoc quod placet, si de hereditate quaeratur, hereditarios seruos interrogari, tibi optulari non posse. Vbi enim de dominio incertum est, ad quem hereditas pertineat: merito per interrogacionem hereditarii serui, ad veritatis indaginem peruenitur. Tu autem adfenerando seruum communem esse,

non dubitas, portionem ad eum pertinere, contra quem interrogari eum cupis. Quae res quaestione haberi ab eo non permittit: cum nec communis serius, aduersus dominum communem, qui non occidisse socium suum dicatur, interrogari possit. S. III.  
Kalend. Mai. Heracleae. AA. Coff.

Hoc rescriptum a. p. C. n. 293. emissum videtur, AA. V. et IV. Coff. si modo chronologico ordine huius tituli leges positae, et sequentis constitutionis consules recte expressi sunt.

*o) L. 17. §. 2. D. De quaestione.*

Supereft ut hic pauca quaedam addam de argumēto ex voluntariis rei morte defumto. Statutum scilicet reperimus, eum qui criminē reus factus, metu sententiae ipse sibi manum intulisset, pro conuictō habitum, eiusque bona, aequē ac condemnati, publicata esse p). Hinc necessario quaestio orta est, num si duo, tanquam eiusdem feeleris socii adcūsati sint, alter, qui in vita remansit, vna cum eo qui se ipse interfecit, pro conuictō habendus sit. Ad quam imperatores nostri responderunt q), factum sponte se prae-cipitantis innocentī criminis periculum adferre non posse.

### §. III.

#### *De modis iudicia finiendi.*

Finiebantur iudicia non modo sententia iudicūm, sed aliis quoque modis: veluti transactiōne de crimine inita, tergiuersatio-ne adcūsatorū, abolitione impetrata. Transigere vel pacisci de crimine capitali, prohibitum non esse, Diocletianus et Maximianus responderunt: minime autem id licere, si sanguinis poenam non ingerat crimen r). Quod imperatorū nostrorum rescriptum,

E 2

lar-

p) L. 1. L. 2. C. De bonis cor. qui ante sentent. mori. sibi confit.

q) L. 12. C. De adcuſar. et inscrīpt. Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Aurelio.

Factum sponte se prae-cipitanis, innocentī criminis periculum adferre non posse. S. XIV. Kalend. Iun. Sirmii. AA. Coff.

Haec lex an ad annum 293, vel 303, vel 304 referenda sit, conjectura adsequi non possum.


r) L. 18. C. De transact.

Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Valenti.

Transigere vel pacisci de crimine capi-tali, excepto adulterio, prohibitum non est: in aliis autem publicis crimi-nibus, quae sanguinis poenam non ingerunt, transigere non licet, circa falsi adcuſationem. S. III. Kalend. Septembr. AA. Coff.

Ob ordinem quo huius tituli le-ges collocatas videmus, ad a. p. G.

n. 293.



largissimam iurisconsultis disputandi materiam praebuit. Sed non est quod varias variorum sententias hic commemorem, cum olim item optime composuerit Noodtius, cuius sententia haec est: Falsi adcusementem neutiquam fuisse ei metuendam, qui de crimine, quod sanguinis poenam ingereret, cum adcussatore transegisset, 'nec propterea eum, vt in aliis criminibus, pro viro habitum: minime vero hac transactione criminis poenam sublatam, nec adcussatori impune transigere licuisse. Quae quomodo cum iure ciuili conveniant, cuius interest scire, is adeat Noodtium ipsum: cum fana ratione optime consentire, nemo in dubium vocabit. Nam vt atrocissimorum criminum poena priuatorum auaritiae condonetur, quis suadere audeat? Poenam autem ei proponere, qui vitae periculum, quounque modo, declinare studuit, nonne crudele et inhumanum cuius videbitur?

Adcussatores, qui ab adcusemente, vel pacto cum reo inito, vel alia de cauſa desiderant, nisi abolitionem antea impetrassen, tergiuersari dicebantur. Contra eiusmodi tergiuersatores, Turpillianum factum est senatusconsultum: a cuius poena mulieres liberas fuisse, ideoque in crimina non subscrisisse, supra monuimus. Huic repugnare

n. 293. AA. V. et IV. Coff. mihi referenda haec nostra videtur.

Conf. Franc. Hotomanni, *Quæſiones illuſtres*, qu. XXI. Ant. Mor-naci, *Obſeruar.* in Cod. b. l. Iac. Raeuardi, *Varia*, L. IV. c. 6. Mattheus, *Ad L. XLVIII. Tit. XIX.* c. 7. Henr. Zoefii, *Com. ad Pandect.*

L. II. Tit. XV. n. 21. fgg. Eiusd. Com. in Cod. L. II. Tit. IV. qu. X. fgg. Wiffenbachius, *Ad Pandect.* Disp. X. Tb. I. n. 13. Diodori Tul-denii, *Com. ad Cod. L. II. Tit. IV.* n. 5. Io. Faber, *Ad Cod. b. l. Franc.* Duarenii, *Com. in primam part. Pandect. ad tit. de transact. c. II. in Opp.* p. 63.

repugnare videtur Diocletiani et Maximiani rescriptum <sup>s)</sup>, quo certissimi iuris esse aiunt, feminam, quae suam suorumque iniuriam persequuta, ab adcausatione, pacto contra vetitum inito, desistat, in senatusconsulti poenam incidere. At, quod recte obseruauit Cuiacius, mulierum imbecillitati quidem concessum est, ab adcausatione, ex errore vel nimio ardore fuscpta, etiam sine abolitione desistere, non tamen earum auaritia, turpe lucrum iustae vindictae anteponere.

Alia constitutione <sup>t)</sup> imperatores nostri declarant, in executionibus criminum hoc videri obtinuisse, vt non nisi is ab adcausa-

E 3

tione

<sup>s)</sup> L. 5. C. Ad SC. Turpill.  
Impp. Diocler. et Maxim. AA.  
Matronae.

Si femina suam suorumque iniuriam exequatur, cum ipsa pacto contra veritatem defirisse profiteatur: in senatusconsulti Turpilliani poenam eam incidiisse certi iuris est. Subtilita. VII. Non. April. CC. Coff. (a. p. C. n. 294.)

Ex huius legis inscriptione CC. excidisse, annus quo subscripta est, ostendit.

Conf. Cuiacii, Observ. L. XX. obf. 8. p. 574. Pacii, Evava. Cent. VII. n. 69. p. 600. Curtii, Enarr. L. V. c. 7. in Ottonis, Thes. Tom. V. p. 284. Petr. de Greue, Exerc. ad Pandect. loca diff. Nouiomagi 1660. 8. p. 618. Struvii, Inimo p. 431.

<sup>t)</sup> L. 6. C. eod.  
Impp. Diocler. et Maxim. AA.  
Luciliae.

In executionibus criminum obtinuisse videtur, illos defirisse, qui animum adcausationis implenda, prorsus deseruerunt. Cum igitur aliis ex caussis, vel simpliciter ratione, nequam et ad finem vindictae peruenisse preces ruae refertur: poteris passim formidine, impedimenti super aliquantrulo silentio, institutam adcausationem secundum leges perferens, quam probabis tibi debitam vindictam reportare. PP. III. Kal. Iul. Diocleriano VI et Maximiano AA. Coff.

Subscriptionem huius legis falsam esse, manifestum est, in sexto enim consulatu Diocletianus collegam habuit Constantium caesarem, non Maxi-



tione putaretur destitisse, qui animum adcausationis implendae prorsus deseruerit: aliquantulum silentium non impedire, quo minus adcausationem persequatur. Non errasse imperatores, Pauli <sup>u)</sup> verba ostendunt: *Destitisse eum adcipiens, qui in totum animum agendi depositit, non qui distulit adcausationem.* — *Animo ab adcausatione destitit, qui adfectum, et animum adcausandi depositit.* At quomodo oculum consueta iudiciorum forma haec consentiant paullo difficultius dictu est. Satis enim constat <sup>x)</sup>, in poenam senatusconsulti Turpilliani haud incidisse, qui animum adcausandi ante depo- fuisse, quam iudicium esset ordinatum, hoc est, ante quam inscriptionum libelli essent traditi, fideiussor praefitus, et reus sub custodia officii factus: ubi autem, his compositis, iudicium inchoatum esset, diem rei peragendae, a praetore vel praefide dictum, reumque absolutum esse, si adcausator adesse, vel, ut res differretur, petere, neglexisset <sup>y)</sup>. Nam hic destitisse ab adcausatione videbatur <sup>z)</sup>. Quomodo ergo imperatores cum iurisconsultis respondere potuerunt, cum tantum destitisse, qui animum deposuerit agendi, non eum qui distulerit vel filuerit? Mihi ita de hac re videtur: imperatores iuris solennitatibus minus anxie inhaerentes adcausatori, qui dicto die adesse neglexisset, permisisse, ut coeptam adcausationem

Maximianum. Facillime ita emendari posse videtur, ut Diocletiano III. ponatur: ita enim et Maximiani primus consulatus recte adpositus, erit, et inscriptio, a solis AA. facta, consulibus conuenierit.

Conf. Briffonius, *De Verb. Sign.*  
in voce: *Destitere.*

<sup>u)</sup> L. I. 3. L. 6. §. 1. D. *Ad SC. Turpill.*

<sup>x)</sup> L. I. C. *Ad SC. Turpill.*

<sup>y)</sup> Car. Sigonius, *De iudicis. L. II. c. XI. in Opp. Tom. V p. 768.*  
Heineccius, *Antiqu. Rom. L. IV. Tit. XVIII. n. 22.*

<sup>z)</sup> L. 6. §. 2. D. *Ad SC. Turpill.*

sationem ad finem perduceret, modo docuisset, sibi desistendi animum non fuisse.

Abolitionem, qua impetrata impune ab adcausationibus desistere licebat, non poenae iustae remissionem, sed tantummodo iudicij sublationem in se continuuisse, neque impediuisse, quo minus eiusdem criminis reus ab alio adcausaretur, fatis notum est. Eiusmodi abolitiones iudex aditus non modo singulis, praeuia caussae cognitione, concédebat, sed etiam interdum ab imperatoribus omnes simul in imperio Romano adcausationes, generali abolitione finiebantur. Quod cum ob laetitiam publicam, vel honorem domus augustae, vel ob sacrum paschatos tempus fieret, ut saepius factum legimus, hic non nisi inanis et perquam ridiculus mos erat. Bene contra, et sapienter mihi factum videtur, cum noui principes sub auspiciis imperii talem abolitionem promulgassent, quod et Diocletianum fecisse, eius rescriptum quoddam ostendit a). Scilicet cum apud Romanos iuris criminalis indoles a principum ingenio ita penderet, ut quod alter delictum tanquam atrocissimum puniret, idem alter praemiis ornaret, cumque magna, immo maxima reorum pars laesae maiestatis crimine teneretur, nouus princeps, cum haec plerumque commode punire non posset, compendiosissimam viam ingressus, omnia omnino iudicia discindebat. Ceterum hae abolitiones non ad seruos pertinebant, sed ad liberos tantum b), neque impediebant, quo minus crimina, sub quouis imperio punienda, intra triginta dies ab eodem adcausatore rursus excitari possent.

Dubium

a) L. 2. C. De general. abolir.

b) L. 16. D. Ad SC. Turpill.



Dubium Paullino cuidam visum reperimus, an post triginta dierum spatium, is qui ante generalem abolitionem promulgatam, ut nomen sibi deferre liceret, postulasset quidem, non tamen ipsum ad accusationis libellum edidisset, reum suum peragere posset. Cui Diocletianus noster respondit<sup>c)</sup>, cum ante item contestatam iudiciumque ordinatum, nulla existeret accusatio, quae derelinqueretur vel tolleretur, id omnino licere.

Idem augustus cum collega alio loco <sup>d)</sup> declarauit, in singulari aliqua causa abolitione a iudice impetrata, permisum non esse eandem rursus excitare, nisi precibus antea aditus fuerit imperator, qui eius rei veniam facile dedisse videtur.

#### §. IV.

##### *De calumniatoribus et de poenis.*

Iudiciis legitimo modo per sententiam ad finem perductis, reus, aut iniuria postulatus, aut delicti conuictus pronunciabatur,

Ad.

c) *L. 2. C. De general. abolit.*

*Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et*

*CC. Paternae.*

*Paullino.*

*Cum eo tempore quo indulgentia nostra crima extinxit, accusatio a te instaurata non fuerit: publicae abolitionis praescriptio cessar. PP. VI. Idus Febr. Maximo II. et Aquilino Coss. (a. p. C. n. 286.)*

*Ex die quo subscripta haec lex est, adparat eam solius esse Diocletiani, id eoque Maximiani nomen delendum.*

d) *L. I. C. De abolition.*

*Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et*  
*CC. Paternae.*  
*Praefes provinciae si perspexerit, ab olitionem ad omnia crimina quae morta sunt pertinuentem a se impetratam, ne semel finita instaurentur, intercessione auctoritatis suae prospicier. Supplicatione vero porrecta nurui principali, praefara abolitione fopitum crimen, ab eadem persona revocari posse. PP. XV. Kalend. Decembr. Diocleriano III. et Maximiano. (a. p. C. n. 287.)*

CC.

Adcusator si, iusta suspicione ductus, sine dolo egerat, omni poena liberabatur e): sin de calumnia eius constabat, grauiissime puniebatur. De lege Remnia variisque imperatorum constitutionibus, multa hic disputare possem, sed et tantum breuiter exponam, quae in Diocletiani et Maximiani legibus de his rebus sancta reperimus. Primum de poena eorum quae situm est, qui in liberali caussa aliquem calumniali erant. Hos calumniae adcusari posse certum erat f), sed liberales caussae cum ad priuatas disceptationes pertinenter, nostri, veteris iuris veltigia g) sequunt, extra ordinem, nec consueto in publicis iudiciis more, eos puniendo esse rescripserunt b).

Iidem cum seruus per calumniam adcusatoris tortus esset, domino eius, de damno sibi dato querenti, actionem in duplum ex lege Iulia competere pronunciarunt i). Sub Iuliae legis nomine illam de adulteriis intelligi, inde adparet, quod Papiniani k) et Vl-  
piani l) fragmenta, quibus idem illud, quod imperatores sanxerunt,  
tradi-

CC. ex inscriptione delendos esse,  
quisque videt.

continent, periclitari solent. (ante a.  
p. C. n. 292 vel 293.)

Conf. Cuiacius, Ad Cod. b. l. p.

i478.

i) L. 6. C. cod.

Impp. Dioclet. et Maxim. AA.

Domitio.


Dominis seruorum, per adcusatoris  
calumniam tortorum, aduersus cum  
poena dupli leg. Iulia prouideatur. S.  
XV. (ante a p. C. n. 292 vel 293.)

k) L. vlt. D. De column.

l) L. 27. pr. D. Ad Leg. Iul. de  
adult.

F

Qui calumniatores pronunciantur: in  
publicorum duntaxat iudiciorum que-  
stionibus, non etiam in liberalibus  
caussis, quae priuatas disceptationes



traditur, ex ipsorum commentariis ad legem Iuliam de adulterii defunta sunt.

De poenis, quae vieto erant propositae, iure Romano statutum reperimus, ne omnes, qui unum idemque delictum commisissent, eadem ratione punirentur, sed pro diuersitate ordinis atque conditionis etiam poenae essent diuervae: aliae honestiorum, aliae plebeiorum. Quod an bene iusteque factum sit quaeri potest. Nec dubito multos fore, qui id negent, coram legibus omnes ciues parres esse debere clamitantes. At hi videant, ne, prae nimio iustitiae studio, fiant iniustissimi. Nam etiamsi libenter concedo, nihil iniustius, publicaeque saluti perniciosius esse, quam, nonnullorum opibus, dignitati, fautoribus, crimina omnino condonare, aut saltem ita indulgere, ut poenas propositas atque inficias derideant: tamen idem ego contendo, si omnes, nulla dignitatis ac conditionis ratione habita, ob idem crimen eodem poenarum genere adficiantur, grauius alios, alios mitius in eadem causa puniri, ideoque iniustissime agi. Primi ordinis vir, ad plateas purgandas, vel oppida munienda damnatus, fama, dignitate, amicis, atque omnibus fere beatae vitae adminiculis priuatur. Non aeque vilioris conditionis homo, qui parua mercede accepta, idem opus lubentissime aeturus fuisset. Homo porro, parum lauta forte gaudens, ut multam soluere possit, ipsi indictam, saepe omnia, quae possidet, vendere, aesque alienum contrahere coactus, ad incitas redigitur. Diuitiis contra opibusque abundans eadem multa tantum abest ut moueat, ut potius longe maiore pecuniae summa, vel minus commodum, quam quod e crimine perpetrato ad ipsum redundauit, redimere paratus sit. Varium variis hominibus earundem rerum solet esse pretium, ideoque recte Romani putarunt, non leuius puniri

puniri honestiores virum, quem aut bonorum partis publicatione multarent, aut relegarent, aut gladio necarent, quam seruum, vel ex infima plebe hominem, quem aut fustibus caesum relegarent, aut ad opus publicum, sive metallia damnarent, aut in cruem tollerent. In hoc vno mihi errasse videntur quod viliorum hominum vitam minoris aestimarunt quam honestiorum, illosque ideo saepe morte puniuerunt, vbi hos tantummodo deportarunt *m).*

In numerum honestiorum, plebeiorum poenis haud subiectorum, imperatores nostri in legibus supra laudatis *n),* praeter viros eminentissimos ac perfectissimos decuriones, vtrorumque filios, nepotes et proneptos, etiam milites et veteranos cum liberis referunt. De militibus quaeri potest, num fustibus subiecti fuerint: idque adfirmandum videtur, quod disertis verbis traditum legimus, eos non modo virgis et vite *o),* sed etiam ipsis fustibus esse caesos *p):* contra autem negandum, quod liberi erant a ple-

F 2 beiorum

*m)* Conferantur quae acutissime de his rebus disputauit: Rudolphus Hommelius, V. A. in *Diss. I. quid de poenis Romanorum criminalibus, iure Justinianae obiuit philosophice statuendum sit.* Lips. 1787. p. 70. *sqq.* Praeterea Chr. Gottl. Gmelin, *Grundzüge der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen* §. 51. p. 110. et Ge. Jac. Fr. Meister, *Abb. über den Einfluss welchen der Stand des Verbrechers, auf die Strafen, und das Verfahren in Strafsachen hat.* in Io.

Fr. Plitts, *Reperatorium für das peinl. Rechr. Frankf.* 1786. 8. p. 1.

*n)* L. 8. L. 11. C. *De quaestion.*  
*o)* L. 13. §. 4. L. 14. §. 1. D.  
*De re milit.* Godef. Stewechii, *Com. ad Vegeti libr. de re milit.* Antwerp. 1585. 4. p. 188. Iust. Lipsius, *De milit.* Rom. L. V. *Diss. 18. in Opp. Antw.* 1637. fol. Tom. III. p. 213. Petr. Fabri, *Semeletria L. I. c. 17.*

*p)* L. 3. §. 16. D. *De re milit.* Stewechius, l. l. p. 61. Faber. l. l.

beiorum poenis, quibus fustes adnumerabantur *q).*, et quod de veteranis expresse cautum erat, ne fustibus caederentur *r).* Quid igitur? Scilicet statuendum arbitror, eos quidem ob militaria delicta isto poenae genere adfici solitos, non item ob ea, quae ad foras ciuilia pertinebant.

De virorum eminentissimorum et perfectissimorum, aequa ac decurionum nepotibus cum supra iam, vbi de quaestioneis agebatur, viderimus, quomodo patris macula, priuilegiis priuati sint, non est quod de eadem re hic denuo agamus. Quam fortiter autem Diocletianus iura sic proposita defenderit, eius sententia *s)* docet, qua contra populi clamores vehementissimos, decurionis filium bestiis non subiiciendum esse, edixit. Quod cum comparo ad ea, quae Modestinus in fragmento quodam *r)* scriptum reliquit, decuriones summo supplicio, non sine praevia principis cognitione, puniendos esse, nisi forte tumultus aliter sedari non possit, non possum non Diocletianum admirari, qui non minus firma quam molli manu rem publicam gubernans contra quoscunque motus legum auctoritatem defendere valuit: id quod nec imbecillis Alexandri humanitas, nec crudelissima Maximini saeuitia efficere potuerat.

Vti

*q) L. 28. §. 2. §. 5. D. De poenis.*

*r) L. 1. L. 3. D. De veteranis.*

*s) L. 12. C. De poenis.*

*Imp. Diocletianus et Maximianus A.A. in consistorio dixerunt.*  
Decurionum filii non debent bestiis subiici. Cumque a populo exclama-

tum esset, iterum dixerunt: Vanae voces populi non sunt audiendas: nec enim vocibus eorum credi oportet quando aut noxiun criminis absoluvi, aut innocentem condemnari desiderant, (ante a. p. C. n. 292. vel. 293).

*r) L. 16. D. Ad leg. Corn. de sciar.*

Vti bona eorum qui capitalem poenam subierant plerumque, sic deportatorum semper publicabantur. Hunc iniquissimum modum imperatores, aequi amantes, ita temperarant, vt damnatorum liberi, si non omnibus, paternis bonis certe parte illorum donarentur *v*). Idemque Diocletiani temporibus obtinuisse, non est quod dubitemus. Neque enim in legibus ab eo lati, neque in scriptoribus acerrime in eum inuehentibus, quidquam reperitur, quod nos aliter de eo sentire cogat. Exstat quidem rescriptum, ab eo et eius collegis emissum *x*), in quo ait, ex absolutissimo iure de bonis matris deportatae nihil deberi filiis. Inde tamen concludere nolim, idem de paternis quoque valuisse bonis. Neque enim vtrorumque parentum eadem est ratio, eademque vis in salutem liberorum. Hi, patre deportato, altore priuabantur suo, omnibusque eius bonis publicatis, fieri poterat, vt, in summam egestatem detrusi, vnde viuerent, non haberent. Id, matre deportata, minus metuendum erat: nam, qui illos aleret, pater remanebat. Hinc factum esse arbitror, vt illius quidem bona liberis donarentur, non item huius. Praeterea constat, bona materna omnino non rediisse ad liberos ante M. Aurelii tempora, quibus demum senatusconsultum Orphitanum factum est. Quod cum

F 3

fit,

*v*) L. 7. D. De bonis dammar. Nicol. Kloekkof, Historia iuris Rom. de bonis damnatorum. Lugd. Bat. 1749. 8.  
*x*) L. 6. C. De bonis prescript. seu damnat.


Imp. Dioclet. et Maxim. AA.

Gaudentio.

De bonis matris deportatae, filiis ni-

hil deberi, inris absolutissimi est. (ante a, p. C. n. 292, vel 293)

Conf. Cuiacius, In Cod. b. l. p. 1483. Nicol. Antonius, De exilio, sive de exilii poena antiqua et noua, exulumque condicione et iuribus. L. II. c. 22. in Meermann, Thes. Tom III. p. 106.



sit, quo iure tandem statuamus, illud priuilegium, diu ante Aurelium damnatorum liberis concessum, ita accipi posse, ut statuamus, illo materna aequa ac paterna bona, liberis esse concessa. Quam ei vim ne ii quidem imperatores, qui post M. Aurelium vixerunt, tribuisse videntur, quippe quorum plerosque magis de fisco locupletando, quam de humanitatis, aequitatis iustitiaeque laude sibi comparanda, sollicitos, habuisse videmus, quod sibi gratularentur, si extremae crudelitatis, turpissimaeque avaritiae notam atque infamiam effugissent.

De seruorum, qui poenae publicae subiecti fuerant, dominio interrogati, nostri rescriperunt y), hoc omnino illaesum manere, nisi per sententiam ipsam simul amputatum fuerit. Hoc idem iurisconsultorum fragmentis firmatur, qui censuerunt seruum, ad vincula perpetua vel temporaria damnatum, domino tradendum esse z), aequa ac eum, qui, ex errore iudicis, in opus publicum, in quod serui dari non poterant, datum esset a). Dominum vero, ut nostri loquuntur imperatores, amputari solebat, si vel mortem subiisset seruus, vel poenae seruus factus esset, veluti ad metalla, aut opus metalli, aut ludum venatorum datus. Hic enim, quamvis a poena liberatus, tamen in domini potestatem non redibat b).

Id

y) L. 13. C. De poenis.

Imp. Dioclet. et Maxim. AA.

Vr. fino.

Seruo ex sententia damnato, si quo-  
quo modo ex sententia proprietaris  
ius amputatum non sit, domino suo

eum obsequi par eff. (ante a. p. C.  
n. 292. vel. 293).

z) L. 8. §. 13. D. De poenis.  
L. 10. C. De poenis.

a) L. 34. D. De poenis.

b) L. 8. C. De sent. pass. et restit.  
L. 8. §. 12. D. De poenis.

Id rectissime ab imperatoribus statutum esse, licet Vlpianus adfmet c), mihi tamen minus liquet. Nam cur dominus seruo priuetur, quem poena publica, quominus ipsi seruiat, non retinet? Evidem, praeter fisci commodum, nil video, puod eius rei caussa esse potuerit.

Aliae imperatorum nostrorum constitutiones ad remissionem poenarum pertinent: quae cum legis cuiusdam immutatioem in fe contineat, non nisi ei, penes quem est ius leges ferendi, competere potest. Hinc illi edixerunt d), vt ne praefes prouinciae poenam, sua sententia dictam reuocaret. Quae non solum de sententia intelligenda sunt, secundum leges pronunciata, sed etiam, vt alia iuris loca testantur, de ea, quae legibus contraria, vel insontem damnauerat e), vel criminis conuictum, iniusta poena adfecerat f). Neutram ille ipse per se poterat mutare. Sed res ad ipsum principem erat referenda. Quid quod tanta fuit sententiae apud Romanos sanctitas, tantusque periculi, quod ex eius mutatione, iudicis arbitrio permissa, oriri posset, metus, vt haec ne in caussis quidem pecuniarii locum haberet g), nisi praetoris dictum restitutionem in integrum concessisset b): in caussis autem criminalibus nunquam, nisi cum reo eiusmodi multa esset indicta, quae facultates eius excederet, adeoque fieri non posset, quin sen-

tentia

c) L. 8. §. 12. D. De poenis. fidi prouinciae reuocare non licet.

d) L. 15. C. De poenis. (post. a. p. C. n. 292. vel. 293).

In pp. Dioclet. et Maxim. AA.  
er CC. Agatho.

e) L. 9. §. 11. D. De poenis.

f) L. 27. pr. D. eod.

g) L. 1. §. vlt. D. De quaestion.

Poenam sua dictam sententia, prae-

b) L. 16. §. 5. D. De minor.

tentia mutaretur i). Scilicet cum prouinciae, imminens indicatio-  
nibus perpetuisque bellis exhaustae, insuper multarum exactione  
expilarentur, insatiabili iudicum auaritia factum arbitror, vt im-  
perator innumeris supplicum libellis obrutus, eorumque legendor-  
um taedio pertaefus, praefidibus permittéret, vt ip̄sī, pro suo  
arbitratu, id facerent, quod necessitas imperaret.

Quamquam vero alii imperatores, id quod praefidibus veti-  
tum erat, saepissime fecisse, poenamque indiciam reuocasse repe-  
riuntur, nostri tamen id non facile concedendum declararunt k):  
et iure quidem, vt mihi videtur. Neque enim eorum sententiae  
accedere possum, qui cum Montesquio l), et Federo m), utilita-  
tem necessitatēque iuris poenas remittendi, seu, vt admodum  
barbare in scholis loqui solent, iuris adgratiandi, defendunt. Nam  
quaer reum damnat lex, aut iusta est, et sapienter instituta, aut ini-  
usta et noxia. Si illud, sine summo reipublicae detimento mi-  
grari non potest: sin hoc, abroganda est. Verum quidem est, le-  
gem alias iustum atque prudentem, sed, cū omnia praeuideri  
nequeant, verbis nimis communibus conscriptam, saepe facere, vt  
iudex eius verba sequutus, hominem, qui absoluendus erat, damna-

re

i) L. 6. §. 9. D. De offic. praef.

filiat. (post. a p. C. n. 292 vel 293.)

k) L. 14. C. De poenis.

l) Montesquieu, L. VI. c. 16.

Imp. Dioclet. et Maxim. AA. et

er. 21.

CC. Vicario.

Si operis publici temporalis poenae sen-  
tentia praefinitus nondum excessit dies,  
hunc expectari conuenit: cum non re-  
mitiri poenam facile, publice interficit,  
ne ad maleficia remere quisquam pro-


m) I. G. H. Feder, *Ueber das  
Recht zu begnadigen*. Adi. K. I. We-  
dekind, Abb. von dem besondern In-  
tereße des Natur- und allg. Staats-  
Rechts, durch die Vorfälle der neuern  
Zeiten. Heidelb. 1793. 8.

re cogatur, tumque principis esse videtur iudicis sententiam mutare. Sed quisque facile per se intelligit, hoc non esse poenam a legibus impositam remittere, sed tantum declarare, legem ad propositam speciem haud recte accommodatam esse: eaque ipsa declaratio, modo iusta fuerit, legis loco habenda est <sup>a)</sup>). Mirum mihi videtur, quod Valazeius <sup>b)</sup> profert, poenam quidem remitti non posse, at angustiori temporis spatio circumscribi: hoc enim quid aliud est, quam poenam ipsam minuere, partemque eius remittere? Quam Valazeii opinionem non attigissem, nisi e diametro esset opposita ei imperatorum nostrorum rescripto <sup>c)</sup>, quo aliquem ad opus publicum temporarium damnatum, non ante liberandum responderunt, quam tempus poenae legibus definitum, praeteriisset.

Quamquam autem Diocletianus legum severitatem clementiae erga damnatos anteponendam censebat, tamen, sub auspiciis imperii, generali indulgentia, liceat mihi hoc verbo in legum codice visitato vti, damnatos omnes restituit <sup>d)</sup>. Quod si mirum forte cuiquam videatur, is modo eorum meminerit, quae supra de causis, ob quas generalis accusationum abolitio concessa est, disputavimus: multos scilicet, pro miserrima, quae tum erat, iudiciorum forma, ex odio vel avaritia iudicium, plures quia imperatoris manifestatem

- <sup>a)</sup> Conf Mathaeus, *Ad L. XLVIII.* L. I. c. V. §. I. Filangieri, d. l. T. Tit. XIX. c. V. n. 2. 3. Chr. Dan. IV. c. 57.  
 Erhardi, V. Ill. *Versuch über das Ansehen der Gesetze, und die Mittel, ibnen solches zu verschaffen und zu erhalten.* Dresd 1791. 8. 2. Abschn. p. 48. 3. Abschn. 2. Kap. p. 75. Pastoret, d. l. T. I. c. 4. Seruin, d.l.
- <sup>b)</sup> Valazé, *Ueber die Strafgesetze. Vers. Germ. c. Car. Ad. Caesaris, V. Magn. Lips. 1786.* p. 314.
- <sup>c)</sup> L. 14. C. *De poenis.*
- <sup>d)</sup> L. 9. C. *De seuent. paſſ. et roſtit.*

G



iesstatem laesisse, vel aemulo eius in imperio fauisse dicebantur, damnatos esse. Has ipas ob cauñas, etiam Antoninus <sup>r)</sup>, Alexander<sup>s)</sup>, Philippus<sup>t)</sup> et reliquorum augustorum plerique, nisi omnes <sup>u)</sup> eiusmodi generales restitutions promulgarunt. Neque tamen haec fuit earum vis, vt, per eas in patriam reuocati, veterem dignitatem, iura et famam reciperent, nedum bona fisco vindicata, sicut plurium imperatorum rescripta hoc testantur. Antoninus respondet <sup>x)</sup>, indulgentia sua a metalli poena liberatum, non impestrasse simul bonorum restitutionem, nisi haec speciali priuilegio concessa fuerit. Philippus <sup>y)</sup> per generalem suam indulgentiam exulibus et deportatis redditum quidem esse tributum ait, non etiam loca militiae famamque integrum reseruata. Iisdem bona quoque non nisi speciali concessione esse restituta, duo Alexandri rescripta <sup>z)</sup> firmant. Denique quod ad patriam potestatem attinet, nostri pronunciant <sup>a)</sup>, si pater deportatus ex generali indulgentia restitu-

tus

<sup>r)</sup> L. 2. C. eod.

<sup>s)</sup> L. 4. C. eod.

<sup>t)</sup> L. 7. C. eod.

<sup>u)</sup> Conf. Petr. Fabri, *Semeſtr.*

L. II. c. 13. Antonius, *De exilio,*

L. III. C. 4. in Meermannii, *Tbſ.*

d. l. p. 163.

<sup>x)</sup> L. 2. C. *De sent. paſſ. et refit.*

<sup>y)</sup> L. 7. C. eod.

<sup>z)</sup> L. 3. L. 4. C. eod.

<sup>a)</sup> L. 9. C. eod.

*Iupp. Dioclet. et Maxim. AA.*

*Refituras et alii.*

*Si parer uester in insulam deportatus,*

*generali indulgentia restitutus est, nec  
vt liberos in potestatem reciperer,  
specialiter imperrauit: in dubium non  
venit, hereditatis commodum per vos  
ei adquiri quoſ ſententia contra eum  
prolata, patres familias efficit, nequa-  
quam potuisse. (ante a. p. C. n. 292.  
vel 293.)*

*Conf. Cuiacius, Ad Cod. b. l. p.  
1484. Mathaeus, L XLVIII, Tit.  
XIX. c V. n. 8. Gothofredus, Ad  
L. vn. Cod. Theod. De sent. paſſ. et  
refit. et lib. eor. Bachouii ab Echt,  
Com. in Inſtit. ad. §. 1. Quib, mod.  
ius parr. pot. ſolu. Antonius, De  
exilio,*


tus fuerit; nec, vt liberos in potestatem reciperet, specialiter impetraverit, per hos ei neutiquam hereditatis commodum adquiri potuisse. His nullo modo repugnat, quae Antoninus imperator deportato cuidam dixisse fertur *b*): restitu te, vt autem scias, quid sit restituere, honoribus et ordini tuo, et omnibus ceteris te restituo: eo ipso enim, quod restitutioni interpretationem addidit, indicauit, restitutionem non necessario omnia illa in se continuuisse. An patria quoque potestas vna cum dignitate ac bonis semper sit redditiva, dubitatum est. Hinc voluit Constantinus *c*), vt sub dignitatis ac bonorum nomine, patria quoque potestas intelligeretur. Quo edicto permotus est Bachouius, vt crederet, abrogato iure veteri, a Diocletiano proposito, omnibus restitutis hoc esse concessum, vt liberos in potestatem reciperent: et Gothofredus, ob idem illud contendit, Diocletiani rescripto patres tantummodo usufructu bonorum, per illorum absentiam a filiis adquisitorum, neutiquam patria potestate esse priuatos. Ego vero neutri adsentiri possum. Neque enim cum Bachouio credere velim, Tribonianum adeo stultum fuisse, vt legem abrogatam, cui proxime sequens lex contradiceret, codici suo infereret: neque cum Gothofredo facere possum, cum disertis verbis a Diocletiano sit rescriptum, specialiter impetrari debere, *vt liberos quis in potestatem recipiat*. Accedit, quod Constantinus expressis verbis significauit, se de patre loqui cui dignitas ac bona restituta sint, non de eo, qui per generalem indulgentiam in patriam sit reuocatus. Quae cum ita sint, nullus dubito, quin et Iustinianus *d*) idem illud, quod Constanti-

G 2

nus

*exilio*, L. III. c. V. in Meerm. *Theſ.*  
T. 2. p. 166.  
*b*) *L. I. C. De ſent paſſ. eereſtit.* por ſoln.

*c) L. I 3. C. cod.*  
*d) §. I. Inst. Quib. mod. ius parr.*



nus, restitutionis genitū innuerit, dicens: patrem, qui deportatus potestatem in liberos amississet, ex indulgentia principis restitutum, per omnia pristinum statum recipere. Vnde fortasse haud abs re foret, leui emendatione admissa, virgulam illam, quam post verba restituti fuerint, posuit Cuiacius, post illa verba, *per omnia*, ponere.

Si qui vero singulari imperatoris fauore bona sua receperant, iis et facultas reddebat, sua sibi vindicandi, et necessitas imponebatur, creditoribus satisfaciendi. Hinc imperatores nostri non modo rescribunt e), caussam eius, qui ante deportationem fundi quaestionem mouisset, vbi illa poena liberatus bonisque restitutus esset, eodem quo ante fuerit, esse statu: sed etiam praefecto praetorio respondent f), non licere eiusmodi restituto, in creditorum detrimentum, bonorum publicationem sibi praetendere. Quam aequissimam imperatorum nostrorum sententiam, cum iis comparo, quae de seruo restituto supra sancta esse vidimus, non possum non mirari, quid sit, quod in similibus caussis tam diuerse iudicauerint Romani. Cur enim sanctius fit creditoris quam do-

mini

e) L. 11. C. De sent. pass. et  
refit.

Impp. Diocler. et Maxim. AA.  
ex CC. Philippo.

Causa eius qui fundi monerat quaestio-  
nem, et ex benignitate nostra facta  
in eum cum bonis restitutio, statum  
pristinum caussae non immutauit.  
(post a. p. C. n. 292 vel 293.)

f) L. 12. C. eod.

Impp. Diocler. et Maxim. AA. et  
CC Tryphoni, Praefecto  
Praetorio.

Si deportationis sententiae veniam,  
indulgentia nostra consecuta suam  
recepit substantiam, se protegere sol-  
leris poena contra credores, que mi-  
nus iure debitum soluat, improbe co-  
natur. (post a. p. C. n. 292 vel  
293.)

mini ius? Illud non modo aduersus deportatum, cui bonorum suorum arbitrium redditum erat, sed adeo aduersus fiscum persequi licebat: hoc, etiam si nihil obstat, quo minus ab herbo recuperaretur, nunquam tamen redibat.

Vltima quae de hoc arguento occurrit Diocletiani et Maximiani constitutio g), ad adnotationem praesidis pertinet. Rescribunt enim, restitutum ex adnotatione praesidis frustra calumniam vereri, cum ea abolita iam sit. Id satis notum est, deportationi semper praesidis adnotationem praecessisse, hoc est, praesidium re cognita, adnotasse, reum, quem deportare ipsi non licebat, deportandum esse h): hanc vero adnotationem, si ipsa poena deportationis ab imperatore vel plane non irrogata, vel remissa esset, omni effectu caruisse, adpareret. Sed quid sibi illud vult, calumniam pati? Glossatores de poena calumniae haec verba expllicant, grammaticis rationibus, vt arbitror, haud repugnantibus. Nam crimen pati, idem significare ac, propter crimen puniri, in legibus i) inuenimus, et apud Coelium k), calumniam ferre, idem significare, ac calumniae damnari, viri docti docuerunt l). Quae vero

l) L. 10. C. cod.

Imp. Dioclet. et Maxim. AA.  
et CC. Demerrio.

Cum indulgentia nostra interueniente,  
sis reuerfus ad lares tuos, fruſtra  
vereris, ne ex adnotatione praesidis,  
quae iam abolita est, calumniam pa-  
riaris. (post a. p. C. n. 292. vel  
293).

Conf. Cuiacius, Ad. Cod. b. I.  
p. 1483. Antonius, De exilio,


L. II. c. 27. n. 17. in Meerm. Thes.  
d. I p. 123.

b) Briffonius, De verb. sign. in  
voce: Adnotatio.

i) L. 109. D. De reg. iur. an-  
tiqu.

k) Ciceronis, Epistol. ad din.  
L. VIII. ep. 8.

l) Briffonius, d. l. in voce: Ca-  
lumnia.



vero sit ista calumniae poena? Vtrum deportatio ipsa? De hac vero, cum non ex adnotatione sola irrogaretur, dubitari non poterat. An infamia deportationem sequuta? At haec et restitutis adspersa mansit m). Quare magis placet Cuiacii interpretatio, qui vereri ne calumniam patiatur, idem esse ait, ac vereri, ne quis quaestionem status per calumniam moueat. Et haud dubie in causa imperatoribus proposita, de iure testamentum condendi, vel alio ciuium iure, quod restitutis reddi solebat, quae situm est.

m) L. ult. C. De general. Abol. L. 7. C. De sent. poss. et restit.





Leipzig, Diss.) 1793

ULB Halle  
004 350 43X

3






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-842787-p0060-2

DFG

B.I.G.

Black



1793,26.  
1783

DIOCLETIANVS

ET

MAXIMIANVS

SIVE

DE VITA ET CONSTITUTIONIBVS  
C. AVRELI VALERII DIOCLETIANI

ET

M. AVRELI VALERII MAXIMIANI

A. A.

---

EXERCITATIO SECUNDA

SCRIPSIT

ET

ILLVSTRIS IVRISCONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
OBTINENDIS

A. D. XII. SEPTEMBR. A. C. MDCCXCIII

AD DISPUTANDVM PROPOSIT

IOANNES CONRADVS SICKELIUS

A. M. ET I. V. B.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA SAALBACHIA.

